PII IX.

PONTIFICIS MAXIMI

ACTA

PARS PRIMA

VOL. VII.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

PII IX
PONTIFICIS MAXIMI
ACTA

PARS PRIMA

VOL. VII.

ACTA EXHIBENS QUAE AD ECCLESIAM UNIVERSAM
SPECTANT

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA

INDVLTVM PRO IVBILAEO

FAVORE FIDELIVM IN MISSIONVM LOCIS COMMORANTIVM

Cum in pluribus Haereticorum et Infidelium locis nullae sint Ecclesiae, in aliis vero non tot sint, quot ex nuper editis Sanctissimi Domini nostri PII Divina Providentia PP. IX. Apostolicis Literis VIII. Kal. Ian. anni prox. praeteriti, quarum initium *Gravibus Ecclesiae*, pro Iubilaei indictione adiri a Fidelibus extra Urbem morantibus necesse est, ut Iubilaeum ipsum adipisci valeant, cumque evenire etiam possit, ut varias ob causas praescriptae Ecclesiarum visitationes iterari nequeant; plures iis in locis fideles tam utili ac salutari Iubilaei thesauro carere cogerentur, nisi apostolica auctoritate iis subveniretur. Haec animo suo reputans idem Sanctissimus D. N., referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, pro sua benignitate contulit arbitrio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum ac superiorum Missionum quorumcumque, facultatem, quam etiam simplicibus Missionariis subdelegare ipsi poterunt, prorogandi, ubi necessitas id postulet etiam per duos annos tempus ad Iubilaeum lucrandum, nec non dispensandi cum praedictis Fidelibus quoad numerum Ecclesiarum visitandarum et visitationum in ipsis peragendarum; imo etiam quando

necesse id fuerit, commutandi in totum huiusmodi opera iniuncta in aliquod ieiunium, aut in recitatione aliquarum piarum precum, firmo remanente pro pueris, qui nondum ad S. Communionem admissi sunt onere Sacramentalis Confessionis, et pro adultis etiam Commonionis; ac praetcra quoad omnes orandi pro Cattholicae Eeclesiae, et Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro estirpatione haeresum, omniumque errantium conversione pro, totius populi Christiani pace et unitatem, ac iuxta mentem Sanctitatis Suae.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide die 24 Ianuarii 1875.

IOANNES SIMEONI SECRETARIVS.

N. B. Sacra Poenitentiaria occasione eiusdem Iubilaei, sub die 25 Ianuarii 1875 ex Apostolica auctoritate haec inter alia declaravit;

1. Sanctitas Sua indulget, ut eodem Iubilaeo durante fideles rite dispositi absolvi possint etiam a crimine haeresis firma tamen obligatione abiurandi errores seu haeresim, reparandi scandala etc. prout de iure.

2. Declarat, vi praesentis Iubilaei una tantum vice absolvi posse a censuris et casibus reservatis, et similiter semel tantum acquiri posse ipsius Iubilaei indulgentiam ; manere tamen in suo vigore Indulgentias a Sancta Sede concessas et expresse non suspensas aut revocatas.

3. Declarat insuper unica Confessione et Communione non posse satisfieri praecepto Pascali, et simul acquiri Iubilaeum.

4. Non posse autem absolvi Confessarios, qui complicem absolvere ausi fuerint.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS SACERDOTIBVS ET CLERICIS SYRIACI RITVS IN MALABARIA DEGENTIBVS.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Perlegentes epistolas vestras, longo subscriptionum ordine munitas, magna affecti fuimus consolatione intelligentes, quo filiali affectu et observantia exceperitis Apostolicas litteras Nostras datas die 1ª Augusti nuper elapsi anni; in quibus de impendentibus fidei ac religioni vestrae periculis vos admonere, et ea quantum in nobis est avertere curavimus. Vobis itaque gratulamur quod fortes in fide restiteritis Chaldaeo Episcopo Eliae Mellus, qui pastoris vestri ementitam induens personam seducere vos tentavit, ac tentat adhuc abducere a fide ac devotione erga hanc Beatissimi Petri Apostolorum Principis Cathedram, matrem et magistram omnium Ecclesiarum; cuius auctoritati maiores vestri, interposita etiam

sacramenti religione, ita suam obedientiam professi sunt, ut nullum nisi ab ea missum Episcopum sese unquam admissuros fore declaraverint. Hanc autem egregiam maiorum voluntatem et propositum, quod vobis commune esse in vestris epistolis significastis, vos constanter et fideliter servaturos in Domino confidimus. Memineritis itaque, Dilecti Filii, D. N. Iesum Christum dixisse, eum, qui non intrat per ostium in ovile ovium sed ascendit aliunde, furem esse et latronem. Vobiscum igitur reputate quid de illo sentiendum sit, qui in ovile intrare praesumit, nedum invito sed expresse contradicente supremo illo Pastore, cui soli Christus Dominus agnos suos suasque oves universas pascendas commisit. Nos, ut muneris nostri erat, illum ad vos conturbandos venientem, suspensionis poena indicta, primum a vobis amovere curavimus; mox vero cum isthinc discedere nollet excommunicationis sententia in illum animadvertendum esse iudicavimus: quam nomine et auctoritate nostra in eum eiusque socios iuste pronunciavit Ven. Frater Leonardus Archiepiscopus Nicomediensis, qui vicariam Nostram potestatem apud vos gerit. Vestri itaque officii est, dilecti Filii, illum a corpore Ecclesiae abscissum evitare, neque committere ut operibus eius malignis communicetis. Interim tamen Patriarcham ipsum Babylonensem, a quo memoratus Elias Mellus missum se dicit, ad debitum officii sui iuxta sacrorum canonum praescripta revocamus. Vos autem dilecti filii, firmiter in obsequio huiusce Apostolicae Cathedrae in debita obedientia erga Nostrum et huius Apostolicae Sedis

Vicarium, qui vobis praesidet, perseverate, memores semper verborum divinae Veritatis quae dixit: « *qui mecum non est contra me est, qui mecum non colligit spargit* ». Quo vero Deus virtutem vestram in certamine roboret et confirmet, ne desistatis humili prece ad thronum gratiae confugere: ac pro certo habete Nos etiam in orationibus nostris memores vestri futuros, obsecrantes Dominum, ut sit perpetuo vobis protector et auxiliator. Accipite demum, dilecti filii, Apostolicam Benedictionem, quam Vobis singulis universis cunctisque aliis istius regionis fidelibus, in communione et obedientia Apostolicae Sedis manentibus, in pignus dilectionis nostrae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 27 Ianuarii an. 1875. Pontif. Nostri Anno Vicesimonono.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS
ET EPISCOPIS REGNI BORVSSICI

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Quod nunquam eventurum arbitrati sumus, animo reputantes ea, quae ab hac Apostolica Sede communi consilio cum suprema Borussiae Potestate anno huius saeculi vicesimo primo pro rei catholicae incolumitate et bono constituta fuerant, id infeliciter his temporibus factum esse perspeximus, Venerabiles Fratres, in istis regionibus vestris, ubi tranquillitati, qua fruebatur Ecclesia Dei, saeva et inopinata successit tempestas. Legibus enim, quae non ita pridem adversus Ecclesiae iura latae fuerant, quaeque perculerunt complures e Clero et e fidelibus strenue officio perfunctos, aliae additae sunt, quae divinam Ecclesiae constitutionem penitus subvertunt, et omnino sacra Episcoporum iura pessumdant.

Ac sane his legibus facta potestas laicis iudicibus, ut Episcopos aliosque animarum curationi praepositos, e dignitate et muneris exercitio deiicerent; multa et gravia impedimenta iis obiecta, qui pro Pastoribus absentibus ad legitimam iurisdictionem exercendam essent constituti; indictum Capitulis Cathedralibus, ut Vicarios eligerent, nondum vacante, iuxta canones, Episcopali Sede; denique, ut alia omittamus, demandata facultas provinciarum Praefectis, ut viros etiam acatholicos deputarent, qui Episcopis suffecti eorum vice parique iure in Dioecesibus administrationi bonorum temporalium praeessent, sive sacris personis, sive usui ecclesiastico eadem sint destinata. Probe scitis, Venerabiles Fratres, quae damna et vexationes ex his omnibus legibus, et aspera earumdem exequutione fuerint insequuta. Consulto haec praeterimus, ne communem dolorem luctuosa recolendo augeamus; at reticere non possumus calamitatem Dioecesium Gnesnensis et Posnaniensis, ac Dioecesis Paderbonensis; traditis enim in custodiam Venerabilibus Fratribus Miecislao Guesnensi et Posnaniensi Antistite, ac Conrado Episcopo Paterbonensi, ac in eos sententia lata, qua ab Episcopali sua Sede et auctoritate per summam iniuriam deiecti declarantur, memoratae Dioeceses subsidio egregiorum Pastorum suorum orbatae in gravium difficultatum et aerumnarum molem misere coniectae sunt. Atque ipsi quidem praedicti Venerabiles Fratres non deplorandi Nobis, sed suspiciendi et gratulatione prosequendi videntur, quippe qui divini memores effati « *Beati eritis cum vos oderint homines,*

et cum separaverint vos et exprobaverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis» (1) non solum deterriti non sunt impendenti periculo et legum animadversione, quin pro ministerii sui gravitate Ecclesiae iura et mandata custodirent, verum etiam decori sibi duxerunt et gloriae, sicut et alii istius regionis spectatissimi Episcopi, quod damnationem immeritam et nocentium poenas propter iustitiam subirent, egregiam exhibentes virtutem in aedificationem totius Ecclesiae redundantem. At quamquam ipsis laudis ornamenta potius quam miserantis lacrymae debeantur; contemptus tamen Episcopalis dignitatis, violatio libertatis et iurium Ecclesiae, vexationes, quae non modo supramemoratas illas, sed et alias Borussici Regni Dioeceses premunt, a Nobis flagitant, ut pro Apostolico munere, quod Nobis, quamvis immerentibus, concredidit Deus, querelas Nostras contra leges illas, unde tot mala parta sunt et adhuc plura timenda efferamus, et libertatem Ecclesiae iniqua vi depressam, ea qua possumus ratione et sancta divini iuris auctoritate vindicemus. Ad has enimvero partes Nostri muneris implendas intendimus per hasce literas aperta testatione denunciantes omnibus, ad quos ea res pertinet, et universo Catholico Orbi leges illas irritas esse, utpote quae divinae Ecclesiae constitutioni prorsus adversantur. Non enim potentes huius saeculi praefecit Dominus sacrorum Antistitibus in iis, quae ad sanctum ministerium attinent; sed Beatum Petrum, cui

(1) Luc. VI. 22.

non modo agnos, sed et oves suas pascendas commendavit (1), proindeque a nulla quantumvis sublimi saeculi potestate episcopali officio privari possunt ii, *quos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (2).

Illud porro accedit indignum illustri gente, idque ab acatholicis ipsis, partium studio haud obnoxiis, perspectum iri arbitramur, quod eae leges, severis munitae sanctionibus, acres animadversiones non obtemperantibus comminantes, et militarem manum paratam habentes ad executionem, pacatos atque inermes cives, merito ab iis aversos propter conscientiae dictamen, quod neque ignorare, neque contemnere ipsarum legum latores poterant, in ea ferme conditione saepe constituant, in qua sunt miseri afflictique homines, quos premit atque urget vis maior, quam nequeant avertere. Quare eae leges non liberis civibus indictae videntur ad rationabile obsequium exigendum; sed quasi servis impositae, ut coactam obedientiam vi terroris extorqueant.

Haec tamen non ita volumus accipi, quasi iusta excusatione purgatos eos censeamus, qui propter metum hominibus obedire maluerunt, quam Deo: multoque minus quasi impune abituri sint a Divino Iudice improbi homines, siqui sunt, qui unius civilis auctoritatis praesidio suffulti, paroeciales Ecclesias temere occuparunt, et sacrum ministerium in iis capessere ausi sunt. Imo perditos istos, et quotquot

(1) Ioann. XXI. 16. 17. — S. August. de fund. cap. 4.
(2) Act. XX. 29.

in posterum sese in Ecclesiarum regimen simili crimine intruserint, in maiorem excommunicationem iuxta sacros canones incidisse, et incidere ipso iure et facto declaramus; monentes pios fideles, ut ad eorum sacra haud accedant, neque ab iis sacramenta suscipiant, atque ita ab eorum commercio consortioque prudenter abstineant, ne malum fermentum massam intaminatam currumpat.

Has inter calamitates valuit ad leniendum dolorem Nostrum fortitudo et constantia Vestra, quam profecto, Venerabiles Fratres, in aspera dimicatione obeunda certatim aemulati sunt reliquus Clerus et fideles, quorum tanta fuit animarum firmitas in catholicis servandis officiis, tanta cuiusque in suo genere laus, ut omnium, vel alienissimorum, oculos et admirationem in se converterint. Nec secus fieri poterat: nam « *quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina* praepositi, *in tantum contra utile est et salutare cum se Episcopus per firmamentum fidei fratribus praebet imitandum* » (1).

Utinam levamen aliquod in hisce rerum augustiis Vobis afferre valeremus! Firma interim hac Nostra protestatione quoad ea omnia, quae divinae Ecclesiae constitutioni, eiusque legibus opponuntur, nec non quoad vim, quae iniuste vobis infertur; consilio certe, opportunisque monitis pro rerum circumstantiis Vobis non deerimus.

Illud autem sciant qui Vobis infesti sunt, quod renuentes vos praestare Caesari, quae Dei sunt,

(1) Act. V. 29.

nullam Regiae auctoritati iniuriam allaturi estis, et nihil ex ea detracturi; scriptum est enim « *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* » (1) ac simul noverint, unumquemque vestrum tributum et obsequium Caesari dare paratum esse, non propter iram, sed propter conscientiam in iis, quae civili subsunt imperio et potestati.

Sic utraque officia rite obeuntes, Deique ordinationi obsequentes, alacri estote animo, atque uti coepistis, sic pergite. Non enim modica lucrati estis, quod patientiam habetis et sustinuistis propter nomen Iesu et non defecistis (2). Ipsum suspicite, qui vos graviora patiendo praecessit, et « *poenam probrosae mortis oppetiit, ut membra Eius videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare* » (3). Ipse, qui vos in hac acie constituit, pares certamini vires praebebit. *In illo spes est, ei nos subdamus et misericordiam precemur* (4). Iam illud, quod Ipse praenunciavit evenisse, cernitis: quod igitur Ipse promisit, indubie ab Eo praestandum esse confidite. *In mundo,* ait, *pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (5).

Huic itaque victoriae confisi pacem interea et gratiam a Spiritu Sancto suppliciter adprecamur, et praecipuae dilectionis Nostrae testem Apostolicam

(1) Apoc. II. 3.
(2) S. Cypr. Epist. 4.
(3) S. Greg. M. Reg. Past. p. I. c. 3.
(4) S. Aug. serm. 55.
(5) Ioann. XVI. 33.

Benedictionem Vobis, universo Clero, et Fidelibus vigilantiae Vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 5. Februarii 1875. Pontificatus Nostri An. XXIX.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE PROVINCIAE ECCLESIASTICAE BOSTONIENSIS IN FOEDERATIS SEPTENTRIONALIS AMERICAE STATIBVS

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae Dei Ecclesiae perutilia fore videantur, ut a Nobis maturo praestentur, Summi Apostolatus munus quod in ea obimus expostulat. Cum itaque relatum ad Nos fuerit Neo-Eboracensem Provinciam in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis latissime patere, atque in ea tum Catholicorum tum Episcopalium Sedium numerum eo crevisse ut e Re Christiana summopere fuerit si eadem Provincia in duas divideretur, Nos adhibitis Venerabilibus Fratribus Nostris S. E. Romanae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, memoratae Provinciae divisionem sedulo attenteque perpendimus, motique tandem rationibus in medium adductis ad eam deveniendum existimavimus. Quae cum ita sint, de consilio dictorum Ven. Fratrum Nostrorum S. E. Romanae Cardinalium hisce Literis Neo-Eboracensem Provinciam in Foederatis Statibus Americae Septem-

trionalis in duas, Apostolica Nostra Auctoritate, partimur, quarum una nomen retinens Ecclesiasticae Provinciae Neo-Eboracensis et hanc sedem habens pro Metropoli Ecclesias Albanensem, Brovklyniensem, Buffalensem, Newacensem, Ogdensburgensem et Rostenum tamquam Suffraganeas complectatur, altera vero eam partem complectens Foederatorum Statuum Americae Septemtrionalis sex novae Angliae status, quae nominantur Sedem Bostoniensem pro Metropoli ac Dioecesis Hartfordiensem Burlingtonensem Portlandensem Campilantis, et Providentiensem veluti Suffraganeas comprehendat. Haec volumus, statuimus, edicimus decernentes praesentes Nostras Literas firmas validas, et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari et irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri recol. mem. super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 12 Februarii 1875. Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono.

F. Card. Asqvinivs

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE NOVI VICARIATVS APOSTOLICI A MINESOTA SEPTENTRIONALI NVNCVPANDI

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

VENERABILES FRATRES

Archiepiscopus, et Episcopi Ecclesiasticae Provinciae Sancti Ludovici in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis, peculiari conventu habito ad Nos retulerunt S. Pauli dioecesim nimis late patere, cumque in ea valde creverit Catholicorum, et Ecclesiarum numerus in rem Sanctissimae Religionis nostrae maxime fore si, aliqua parte distracta, ea in Vicariatum Apostolicum proprio committendum Antistiti erigeretur. Quod simul ac accepimus cum Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Card. negotiis Propagandae Fidei praepositis communicare maturavimus, omnibusque rei momentis sedulo attenteque perpensis in memoratorum Antistitum Sententiam eumdem, et novi illius Vicariatus erectionem decernendam existimavimus. Quae cum ita sint, de

Ven. Fratrum Nostrorum S. E. R. Cardinalium quos nominavimus consilio Auctoritate Nostra Apostolica hisce Literis a dioecesi S. Pauli in Foederatis statibus Americae septemtrionalis totam illam Status Minesotae partem seiungimus quae ad Septemtrionem iacet atque incipiens a linea meridionali Comitatuum « Traverse, Stevens, Prope Stearns, Sherburne, Isanti, et Chilago ». Singulos hosce, atque universos Comitatus complectitur item totam eam partem territorii Dakotae, quae iacens ad Orientem a flumine, Missouri « et flumine White Carlh » et ad Septemtrionem incipiens a meridionali linea comitatuum « Burleigh Logard, Lamowre, Ranson, et Richland » istos aeque Comitatus includit atque ex huiusmodi territorii partibus novum Vicariatum Apostolicum efformamus, erigimus, et constituimus, cuius a Minesota Septemtrionali nomen sit, et proprio antistiti una demandetur.

Haec volumus statuimus, edicimus, decernentes, praesentes Nostras Literas firmas validas, et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et irritum et inane si secus super his, a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis ad in universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Concilii editis generalibus,

vel specialibus constitutionibus et ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 12 Februarii 1875. Pontificatus nostri Anno Vigesimonono.

F. Card. Asqvinivs

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE PROVINCIAE
ECCLESIASTICAE PHILADELPHIENSIS
IN AMERICA SEPTEMTRIONALI

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quod antea a Venerabilibus Fratribus Concilium Plenarium Baltimorense tertium celebrantibus postulatum fuerat uti nempe Provincia ecclesiastica Baltimorensis in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis, inspecta eius amplitudine ac valde adaucto fidelium, et Episcopalium Sedium numero, duas in distinctas divideretur Provincias, illud quidem praestandi tempus modo venisse existimavimus postquam cum Ven. Fratribus Nostris S. Ecclesiae Romanae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis rem communicavimus et sedulo attenteque perpendimus. Quae cum ita sint, de memoratorum Cardinalium consilio hisce literis, e predicta Provincia Baltimorensi in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis duas Apostolica nostra Auctoritate Provincias efformamus quarum altera nomen retinens Pro-

vinciae Baltimorensis et istam habens sedem pro Metropoli tamquam suffraganeas complectetur dioeceses Carolopolitanam Wheligensem Richmondensem Savannensem S. Augustini et Wilmingtonensem nec non Vicariatum Apostolicum Carolinae Septemtrionalis altera vero Sedem Philadelphiensem pro Metropoli Ecclesiasque Pittoburgensem Oriensem Serantoniensem, et Harrisburgensem habeat pro suffraganeis. Haec volumus statuimus, edicimus decernentes praesentes nostras Litteras, firmas, validas, et efficaces semper existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et irritum, et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula, de iure quaesito non tollendo Benedicti XIV Praedecessoris Nostri recol. mem. super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 12 Februarii 1875. Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono.

F. Card. Asquinius

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE PROVINCIARVM ECCLESIASTICARVM MILWAVCHIENSIS ET S. FIDEI IN AMERICA SEPTEMTRIONALI

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae Nos Sacri Antistites orant Dominici gregis bono ea Nos qui Pastoris aeterni Vices obimus in terris, propensa animi voluntate concedimus. Cum itaque Ven. Fratres Archiepiscopus et Episcopi Ecclesiasticae Provinciae S. Ludovici in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis peculiari conventu habito viderint Catholicae Religioni maxime profuturum, si eadem Ecclesiastica Provincia quae latissime patet in tres distinctas, provincias divideretur, atque idcirco enixas Nobis preces adhibuerint. Nos cum Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Negotiis Propagandae Fidei praepositis, mature re communicata et sedulo, attenteque perpensa memoratorum Antistitum votis obsequendum existimavimus. Quae cum ita sint de consilio eorumdem Ven. Fra-

trum Nostrorum S. E. R. Cardinalium Ecclesiasticam S. Ludovici Provinciam in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis hisce Literis in tres provincias Apostolica nostra Auctoritate partimur, quarum una nomen retinens provinciae S. Ludovici et hanc sedem habens pro Metropoli, Dioeceses Altonensem, Chicagiensem, Dubuquensem, Nashvillensem S. Iosephi Peoriensem tamquam suffraganeas nec non Vicariatus Apostolicos regionum « Kansas » Montanensis et Nebracensis complectatur: altera Milwauchiensem Ecclesiam pro Metropoli habens, tamquam suffraganeas comprehendet dioeceses S. Pauli Marianopolitanam Marquestensem hucusque addictam Ecclesiasticae provinciae Cincinnatensi: item Crossensem Sinus Viridis, et Vicariatum Apostolicum Minnesotae Septemtrionalis, tandem tertia et pro Metropoli Sedem Episcopalem Sanctae Fidei in novo Mexico et tamquam suffraganeos habeat Vicariatus Apostolicos Coloradensem, et Anjonensem. Haec volumus, statuimus, edicimus decernentes praesentes nostras literas firmas, validas et efficaces semper existere, et fore, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari et irritum, et inane si secus, super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV Praedecessoris nostri recol. mem. super divisione materiarum aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel spe-

cialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die 12 Februarii 1875. Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono.

F. Card. Asqvinivs

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE DIOECESIS PEORIENSIS
IN FOEDERATIS SEPTEMTRIONALIS AMERICAE
STATIBVS

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quod Venerabiles Fratres Archiepiscopus, et Episcopi Ecclesiasticae Provinciae Sancti Ludovici in Foederatis Statibus Americae Septemtrionalis peculiari conventu habito, sensere, nempe Chicagensem Dioecesim nimis late patere atque fidelium tum Ecclesiarum numerum eo crevisse ut e Christiana re admodum foret si eadem Chicagensis dioecesis divideretur novaque per huiusmodi divisionem dioecesis efformaretur, illud simul ac Nos memorati Antistites orarunt ex Summi Apostolatus munere quo fungimur praestare maturavimus. Itaque cum Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis re communicata, omnibusque rationum momentis, sedulo, attenteque perpensis, ad novae illius Episcopalis Sedis erectionem

deveniendum existimavimus. Quae cum ita sint quod Dei Gloriae et Catholico nomini benevertat, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio Auctoritate Nostra Apostolica; novam Episcopalem Sedem in Civitate Peoriae tenore praesentium, erigimus eique Peoriensis nomen facimus. Huic porro novae Sedi Comitatus Status « Hillinois » qui nominantur huc usque Chicagensis Episcopi iurisdictioni subiectos adsignamus qui infrascripti sunt nimirum Meerer, Warren, Henderson, Hancock, Me Donough, Schuyler Kaox, Fulton, Mason, Iarewell, Georia, Kark, Marskall, Woodford, Me Leaa, Logan, Dewitt, Livingston, Ford, Geatt, Champaign, Vermillion, Troguois. At enim mandamus, ut novae istius dioecesis limites accuratae designentur in Charta chorographica atque in tabulario S. C. Propagandae Fidei asserventur. Haec volumus, praecipimus decernentes praesentes nostras Litteras firmas validas, et efficaces semper existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari et irritum, et inane si secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit Nostrae et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XVI Praedecessoris Nostri recolendae memoriae super divisione materiarum aliisque Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus,

et ordinationibus, ceterisque contrariis, quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 12 Februarii 1875. Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono.

F. Card. Asqvinivs

LITTERAE APOSTOLICAE

DE FACVLTATE KARMELITIS EXCALCEATIS IN ITALIA ET IN HISPANIA DEGENTIBUS IN VNAM CONGREGATIONEM SUB VNO ORDINIS MAGISTRO QVI ROMAE RESIDEAT COEVNDI.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Lectissimas Christi militum turmas, religiosas familias a Sanctissimis viris in christianae civilisque reipublicae praesidium et commodum institutas quas inimicus homo lucis et veritatis osor nullo umquam tempore evertere et labefactare contendit, Romani Pontifices in deliciis semper habuerunt, earumque incolumitati iugiter invigilarunt, et ex Suprema, qua in Catholica ecclesia divinitus pollent, auctoritate, inspectis rerum, temporum ac locorum momentis ea sanxerunt, quae in earumdem religiosarum familiarum bonum cessura in Domino iudicarint. Hac sane mente peculiaribus adductus causis fel. rec. Clemens VIII. Praedecessor Noster Sodalium Karmelitarum excalceatorum tranquillitati et utilitati prospiciens, suis Litteris die XIII mensis novembris Anno MDC constituit, ut Karmelitae excalceati

Italicae Congregationis nullam in hispanico territorio instituerent fundationem, seque ab immiscendo se illorum coenobiorum negotiis omnino abstinerent. Modo autem ob immutatas rerum vices supplicatum Nobis est, ut memoratae Praedecessoris Nostri Constitutioni derogare utramque Karmelitarum excalceatorum Congregationem Hispanicam nempe et Italicam in unam redigere, et summo eiusdem Ordinis Magistro in Alma Urbe sedem habenti obnoxiam edicere de Apostolica auctoritate Nostra velimus. Nos igitur precibus ad id Nobis porrectis annuentes dictamque familiam religiosam tot nominibus bene de re sacra et civica meritam peculiari benevolentia prosequi volentes, et omnes ac singulos quibus hae Literae Nostrae favent, a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, rebus omnibus accurate perpensis fel. rec. Clementis VIII Praedecessoris Nostri Constitutioni die XIII Novembris Anno MDC editae, cuius initium « *In Apostolicae dignitatis culmine* » ob immutata temporum rerumque adiuncta Apostolica Auctoritate Nostra tenore praesentium plane derogamus, et ea quae sequuntur in posterum servanda decernimus. I. Ex duabas Karmelitarum excalceatorum Congregationibus Hispana nempe et Italica unam facimus et esse volumus eamque sic unitam summo istius Ordinis magistro in hac Alma Urbe residenti subiectam constituimus. II. Facultatem nova in Hispaniis coenobia instituendi,

vetera, si restituantur, excipiendi illorumque omnia singula iura pro rerum adiunctis vindicandi summo eiusdem Ordinis in Italia Magistro impertimur. III. Qui in Hispanis erigentur Novitiatus institui et conformari iubemus ad constitutiones, quae in Italica Congregatione vigent, itemque ut novitii secundum illas fingantur, et solemnia vota nuncupent praecipimus. IV. Superstites antiquae Congregationis Hispanicae religiosi in Coenobia iam in Hispaniis erecta, vel ibidem erigenda poterunt admitti, dummodo se constitutionibus in Italica Congregatione vigentibus subiiciant, quin tamen ipsi ad quartum votum emittendum, prout in iisdem Constitutionibus cavetur astringantur. V. Quod si plura in Hispaniis erigentur coenobia Capitulo Generali utriusque congregationis in unam ut supra redactae facultatem constituendi inibi provincias eisque congruentes limites praefiniendi impertimur. Haec statuimus decernimus et ab omnibus ad quos spectat et in posterum spectabit hoc futurisque temporibus plenissime servari volumus et iubemus in contrarium facientibus licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII Februar. MDCCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno XXIV.

F. CARD. ASQVINIVS.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS PAVLO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI GREGORIO ARCHIEPISCOPO MONACENSI ET FRISINGENSI, CETERISQVE GERMANIAE EPISCOPIS NEC NON ADMINISTRATORI FVLDENSI ET VICARIO CAPITVLARI BAMBERGENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Mirabilis illa constantia, quae pro veritatis, iustitiae sacrorumque iurium assertione et tutela nec iram veretur Potentum, nec eorum minas nec bonorum iacturam, exilium, carceres, mortem sicuti per priora saecula Christi Ecclesiam illustravit, sic postea semper adornare perrexit, aperte docens, in ea sola splendescere veram illam et nobilem libertatem, quae inani quidem nomine reboat ubique, sed re ipsa nullibi apparet. Hanc certe gloriam Ecclesiae vos continuastis, Ven. Fratres, dum germanum Vaticani Concilii definitionum sensum a vulgata quadam circulari epistola captiosa commentatione

detortum restituendum suscepistis, ne fideles deciperet et in invidiam conversus, ansam praebere videretur machinationibus obiiciendis libertati electionis novi Pontificis. Equidem ea est perspicuitas et soliditas *declarationis* vestrae, ut, cum nihil desiderandum relinquat, amplissimis tantum gratulationibus Nostris occasionem suppeditare deberet, nisi gravius etiam testimonium exposceret a Nobis versuta quorumdam ephemeridum vox, quae, ad restituendam refutatae a vobis epistolae vim, conata est lucubrationi vestrae fidem derogare, suadendo emollitam, et minime propterea respondentem huiusce Sedis Apostolicae menti prolatam a vobis fuisse Conciliarium definitionum doctrinam. Nos itaque vafram hanc et calumniosam insinuationem ac suggestionem, reiicimus cum *declaratio* vestra nativam referat catholicam, ac propterea Sacri Concilii et huius Sanctae Sedis sententiam luculentis et ineluctabilibus rationum momentis scitissime munitam et nitide sic explicatam ut honesto cuilibet ostendere valeat, nihil prorsus esse in impetitis definitionibus, quod novum sit, aut quidquam immutet in veteribus relationibus, quodque obtentum aliquem praebere possit urgendae vexationi Ecclesiae, et moliendis novi Pontificis electioni difficultatibus.

Quoad hanc vero prudentissime vos fecisse censemus, dum omni disceptatione seposita, diserte protestati estis, damnari iam nunc a vobis quidquid impedimenti obiici velit liberae Capitis Ecclesiae electioni, ac firmiter declarastis, solius sacrae auctoritatis esse iudicium de electione rite peracta. Non

alii certe causae tribuenda est saeva procella, qua Ecclesia veritatis magistra jactatur ubique et totus quatitur orbis, quam erroribus a perpetuo Dei et hominum hoste diffusis ad omnia perturbanda. Cum igitur in errorem, malorum omnium fontem, arma sint convertenda, pergite, Venerabiles Fratres, illum, quacumque obductum larva, detegere ac insectari, sicuti fecistis per egregiam hanc *declarationem* vestram. Nequibunt profecto quotquot sunt honesti, veritatis fulgore non percelli, potissimum cum a nobilissima constantia vestra splendidior ipse fiat; error vero in lucem adductus tantaque vi pressus nequibit tandem non cadere. Id laborantibus Ecclesiae et orbi cito concedat divina misericordia, et interim favoris eius auspex sit vobis Apostolica Benedictio, quam praecipuae benevolentiae Nostrae pignus, et imo corde depromptam unicuique vestrum, Venerabiles Fratres, vestrisque Dioecesibus universis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 4 Martii Anno 1875. Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono.

PIVS PP. IX

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS INDVLGETVR
PRAESIDI PRO TEMPORE REIPVBLICAE PERVANAE
VT IVRE PATRONATVS FRVI POSSIT.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI
AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Praeclara inter beneficia, quibus dives in misericordia Deus Peruvianam gentem cumulavit, donum potissimum eminet Catholicae veritatis, quam semel acceptam ab Evangelii praeconibus Peruviani sedulo retinuere, atque ita coluerunt, ut aliquot etiam ex iis prodierint heroes, quos altarium dignos honoribus Ecclesia iudicavit. Haec illi genti vera gloria fuit, eiusque servandae studium minime in ea defervuit, postquam a Catholicorum Hispaniae Regum ditione seiuncta est. Siquidem in legibus latis reipublicae constituendae solemniter declaravit. « Peruviam profiteri Catholicam religionem, eamque tueri, neque pati publicum alterius religionis exercitium. » Huic porro studio servandae catholicae unitatis plura consentanea fuerunt, quae in eadem regione acta gestaque sunt publica auctoritate.

Nam dioecesibus iam existentibus, novisque denuo erectis dos liberaliter aucta, vel data est; subsidia collata seminariis seu collegiis Missionariorum ad propagandam fidem institutis; pari munificentia prospectum doctrinis, seu paroeciis excitatis in oppidis conversorum ad fidem; et ingens pecuniae vis publice impensa sive reparandis ornandisve Ecclesiis, sive novis extruendis, sive religiosi cultus decori sustentando ac provehendo.

Haec Nobis probe alioquin comperta commemoravit, atque exposuit dilectus Filius illustris vir Petrus Galvez Peruvianae Reipublicae legatus apud hanc Apostolicam Sedem, ut publicum et solemne testimonium meritorum eiusdem Reipublicae erga Ecclesiam Catholicam a Nobis obtineret.

Nos itaque Peruviani Gubernii votis per eumdem legatum significatis annuere volentes, et exempla imitantes Praedecessorum Nostrorum, qui bene de re Christiana meritos peculiaribus gratiis et favoribus prosequuti sunt, nonnullis e S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, Peruvianae Reipupublicae Praesidi, eiusque Successoribus pro tempore existentibus, qui Catholicam fidem profiteantur indulgere decrevimus, prout Apostolica auctoritate indulgemus, ut in territorio suae Reipublicae frui possint eo patronatus iure, quo ante Peruvianam regionem a ditione Hispanica seiunctam Catholici Hispaniarum Reges ex indulgentia Sedis Apostolicae ibi fruebantur, ea tamen conditione et lege, ut ea quae dotis nomine adsignata sunt tum Clero, tum sacro ministerio ea cultui exercendo in dioecesibus territorii

praedictae Reipublicae serventur integre et diligenter ac fideliter praestentur, simulque Gubernium Peruvianum in Catholica religione fovenda tuendaque perseveret.

Hisce legibus et conditionibus servatis, ius erit Peruvianae Reipulicae Praesidi, eiusque successoribus praesentandi Apostolicae Sedi ad vacantes Sedes Archiepiscopalem et Episcopales Ecclesiasticos viros dignos et idoneos, quibus secundum regulas ab Ecclesia praescriptas canonica detur institutio, ita tamen, ut intra annum, a vacatione si legitimum impedimentum non obstet, fiat praesentatio. His vero sic praesentatis nullum ius erit suscipiendi regimen et administrationem Ecclesiae, antequam Litteras Apostolicas institutionis obtinuerint, et eiusdem Ecclesiae Capitulo exhibuerint, iuxta Constitutionem Nostram *Romanus Pontifex* datam V. Kal. Septembris Anno Incarnat. Dominicae Millesimo Octigentesimo Septuagesimo tertio.

Ius etiam erit Reipublicae Praesidi praesentandi Episcopo viros canonice dignos in quolibet Capitulo ad Dignitates et Canonicatus *de gratia*, aliasque Praebendas Ecclesiarum cathedralium, etiamsi in Romana Curia vacent, cum earum vacatio ab auctoritate ecclesiastica declarata fuerit.

Hoc insuper iure idem Praeses gaudebit quoad Canonicatus de officio et Paroecias, servata consueta canonica forma concursus et examinis, eoque habito, a Praeside unus eligetur ex tribus dignioribus, qui sibi exhibiti fuerint, ut deinde ab Episcopo canonice instituatur.

Tandem in Peruvianis-Templis Reipublicae Praeses iis fruetur honoribus, qui olim Hispaniarum Regibus, ex iure Patronatus a S. Sede concesso haberi consueverunt.

Haec volumus, statuimus ac mandamus, decernentes has Nostras Litteras, et omnia in eis contenta nullo unquam tempore a nemine cuiusque conditionis, et dignitatis, sub quovis titulo, et quaesito colore infringi, impugnari vel in contrarium revocari posse, sed semper firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus semper sortiri et obtinere debere.

Non obstantibus quibusvis etiam in generalibus et universalibus Conciliis editis, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim de *iure quaesito non tollendo*, ceterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique locorum, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostri Decreti, Indulti, Statuti, Mandati et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octigentesimo Septuagesimo quarto, * tertio Nonas Martias, Pontificatus Nostri anno vigesimo nono.

A. CARD. VANNICELLI PRO-DATARIVS - F. CARD. ASQVINIVS

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ Plumbi

I. CUGNONIUS

Reg. in Secretaria Brevium.

* Iuxta praxim Curiae Apostolicae cum annus ab Incarnatione computari debeat a die Annuntiationis B. M. V. idcirco respondet ad annum 1875.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO DIE XV. MARTII MDCCCLXXV.

VENERABILES FRATRES

Curarum nostrarum partem esse agnoscentes his praesertim miserrimis temporibus Vestrum Ordinem amplissimum praestantibus augere viris, qui Nobis auxilio sint in universae Ecclesiae procuratione, ad hoc implendum munus animum nostrum convertendum existimavimus. Vellemus quidem hoc exequi veteri et solemni ritu, quem Ecclesiae dignitas postulat, sed id non patitur acerbitas temporum, quae tanta iam est, ut ne deplorandi quidem Ecclesiae mala facultatem liberam Nobis esse velle demonstret. Non miramur quod qui veteri errore et odio ab Ecclesia dissident, id assequi praesumant, sed quod in hac misera Italia, in qua suprema veritatis Cathedra divina dispensatione est constituta, ii qui filii erant in Ecclesiae hostes conversi perniciem

Ecclesiae ipsius, quae a ruina humanae societatis seiungi non potest, tum voluntate sua, tum externo impulsu permoti moliantur ac struant, id quidem dolenter et imo ex corde ingemiscimus. Ex hac molitione profluxere tot illi deplorabiles ausus, qui iura, libertatem, res et ministros Ecclesiae inique laeserunt, et quorum diuturno iam ex tempore spectatores ad vim propulsandam impares esse cogimur: profluit etiam et promovetur in dies malum illud longe gravissimum, quo nihil tot animabus et humanae societati funestius, corruptio scilicet iuventutis, qua corruptione ad praesentia mala in futuras etiam generationes propaganda contenditur. Omnibus enim institutis, quae ad iuvenes erudiendos spectant, ab Ecclesiae vigilantia in hoc Catholici Orbis centro subductis, iuvenes a prima aetate qua virtutis aut vitii semina tenaciter haerent, scholas civili potestati subiectas celebrare expresse coguntur, ubi eorum mentes et corda nulla fidei et religionis ratione habita, iuxta huius saeculi placita et sapientiam informantur cuius amarissimos fructus omnis nunc terra experitur.

Cum porro ipsa pariter institutio eorum, qui in sortem Domini vocati sunt, tot regulis de ratione studiorum ad arbitrium impositis implicetur, magis magisque in dies arduum illis efficitur hoc curriculum emetiri; ideoque perpauci iam existunt, maxime post infaustam de militari delectu legem, qui in clerum possint adscribi.

Quo autem luculentius pateant hostium nostrorum consilia, quaedam etiam nuper documenta

prodiere, quibus animus additur presbyteris et inferioribus clericis, qui Episcopis aliisque Praesulibus contumaces obsistant; iisque praesidii spes et tutelae proponitur adversus sententias et decreta, quae in eos forte latura sit episcopalis auctoritas.

Quid plura? Ipsa divini verbi praedicatio et sermonum nostrorum evulgatio infestis actibus politicae potestatis percellitur: leges exhinc poenales denunciantur adversus eos, qui, sive typis, sive aliter verba a Nobis prolata, et acta huius Apostolicae Sedis in vulgus ediderint, quoties in hisce ex eorum sententia qui talia minitantur, aliquid inesse videatur adversum civilibus institutis ac legibus. Scilicet per eiusmodi minas in aperto ponitur quaenam mens et vis fuerit quibusdam legibus, quae simulata obsequii specie ad fucum faciendum fidelibus nostram libertatem et dignitatem tueri videbantur, et magis magisque ostenditur quam necessaria sit Nobis suprema ac plena potestas nullius ditioni aut arbitrio obnoxia, qualem divina Providentia Romanis Pontificibus contulit, ad spirituale ministerium in orbe expedite ac libere exercendum.

Interim comminatio illa eo intendit, ut supremi veritatis Magistri vox ipsa comprimatur ac late manare non possit, vox quae divino iure ad commune societatis bonum in universum orbem emittitur, quaeque circumscribi aut cohiberi non potest quin etiam omnium fidelium iura violentur. Cogitent qui Ecclesiam tantae huic servituti subiiciunt, sese divini iudicii severitatem in se ipsos provocare, eoque duriores vicissim experturos Dominos, et graviora tyramnidis

iuga quo benignior erat Matris auctoritas, quam iniectis vinculis reiecerunt.

Nec vero satis est Ecclesiae oppugnatoribus earum rerum acerbitas, quas memoravimus, sed ad novas etiam parandas causas dissidiorum, et perturbationum in ipsa Fidelium conscientia eorum conatus conversi fuere. Nuper enim in extera regione quibusdam scriptis in publicam lucem vulgatis quibus Vaticani Concilii decreta in laevam partem detorquebantur, id spectabatur, ut in successoribus Nostris eligendis Senatus vestri libertas violaretur, atque ut in ea re, quae tota ordinis ecclesiastici est, magna pars civili potestati tribueretur. At Deus misericors, qui praeest et consulit Ecclesiae suae, provide effecit ut fortissimi ac spectatissimi Germanici Imperii Episcopi illustri declaratione edita, quae in Ecclesiae fastis memorabilis erit, erroneas doctrinas et cavillationes hac occasione prolatas sapientissime refellerent, et nobilissimo tropheo veritati erecto Nos et universam Ecclesiam laetificarent. Dum autem amplissimas laudes coram vobis et Catholico orbe praedictis Episcopis universis ac singulis tribuimus, praeclaras eas declarationes et protestationes, ipsorum virtute gradu ac religione dignas, ratas habemus, easque Apostolicae auctoritatis plenitudine confirmamus. Dissipet Divina Clementia consilia inimicorum, et mitigans Nobis a diebus malis hereditatis suae recordetur, ostendatque, non esse prudentiam, non esse sapientiam, non consilium contra Dominum. Hoc ut ex votis feliciter contingat, sacrificemus in humilitate et fervida

deprecatione sacrificia iustitiae. *Deus noster iustus et pius est et sicut perseverantibus in pravitate districtus est ita conversis misericors. Ad ipsum ergo tota mente contriti cordis eiulatione curramus, ab ipso ereptionis nostrae solatia postulemus, qui quoniam benignus et mitis est si nos a malis nostris emendatos sua viderit mandata diligere, et hic potens est nos ab hoste defendere, et in futuro aeterna nobis gaudia praeparare* *

In his vero tantis tribulationibus, quoniam quo saevior est dimicatio, eo maior ductorum ac militum cooperatio virtusque in acie requiritur, constituimus, Venerabiles Fratres, in nostrum Sanctaeque Romanae Ecclesiae Senatum hodierna die ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem sex praestantissimos viros cooptare, scilicet Venerabiles Fratres Petrum Giannelli Archiepiscopum Sardianum Congregationis Concilii Secretarium, Miecislaum Ledechowski Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem, Iohannem Mac Closkey Archiepiscopum Neo-Eboracensem, Henricum Eduardum Manning Archiepiscopum Westmonasteriensem, Victorem Augustum Dechamps Archiepiscopum Mechliniensem, et Dilectum Filium Dominicum Bartolini Protonotarium Apostolicum Congregationis Sacrorum Rituum Secretarium, qui omnes profecto, sive Episcopali munere magna cum laude zeli, fortitudinis, prudentiae doctrinaeque gesto, sive gravissimis in tuenda Ecclesiae causa persecutionibus singulari virtutis et invicti animi exem-

* S. Gregorio M.

plo toleratis, sive in hac Urbe sedula diuturna probatissima opera Sedi Apostolicae navata, hac honoris amplitudine sese dignos exhibuerunt. Qua in re illud Nobis iucundissimum est quod nobilissimis etiam Ecclesiis ex quibus sacrorum Antistites elegimus, et exornamus, certum ac sincerum amoris ac studii testimonium praebere possimus.

Praeter autem hos sex memoratos Cardinales, ad Onnipotentis Dei gloriam creare intendimus alios quinque Cardinales, quos tamen iustis ex causis in pectore reservamus, arbitrio nostro quandocumque evulgandos; ac si Sanctam hanc Sedem Deo disponente viduari contigerit antequam ipsi evulgentur, litteris Nostro Testamento adiectis ii declarabuntur, eosdemque ius activae ac passivae electionis in Successore Nostro eligendo Vobiscum habere Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine volumus statuimus atque decernimus.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Onnipotentis Dei Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales.

Petrum Giannelli
Miecislaum Ledechowski
Iohannem Mac-Closkey
Henricum Manning
Victorem Dechamps

Diaconum vero
Dominicum Bartolini

cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

Alios autem quinque in pectore reservamus, prout supra expressimus evulgandos, eosque iure supramemorato gaudere edicimus et confirmamus.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti Amen.

EPISTOLA ENCICLICA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
EPISCOPIS ET CLERO ET POPVLO HELVETICO
GRATIAM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE
HABENTIBVS

PIVS PP. IX

VENERABILES FRATRES
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Graves ac diuturnae insidiae et conatus, quos in dies magis Neohaeretici, qui se veteres catholicos dicunt, in ista regione adhibent, ut fidelem populum decipiant et ab avita fide divellant, Nos movent ut, pro supremi nostri Apostolatus officio, ad spiritualem filiorum nostrorum salutem tuendām paternas curas et sollicitudines studiosissime conferamus. Agnoscimus enim, Venerabiles Fratres, et cum dolore deploramus, praedictos schismaticos et haereticos, in dioecesis Basileensis territorio et in aliis istius regionis locis, dum religiosa catholicorum libertas publice per schismaticas leges oppressa iacet, ipsos, civili auctoritate favente, damnatae suae sectae ministerium exercere, ac violenter occupatis

per apostatas presbyteros Paroeciis et Ecclesiis, nullum fraudis et artis genus omittere, ut catholicae Ecclesiae filii in schisma misere inducantur. Quoniam autem proprium semper et peculiare haereticis et schismaticis fuit simulatione et fallaciis uti, ita huiusmodi filii tenebrarum inter eos recensendi, quibus per Prophetam dictum est: *vae filii desertores, habentes fiduciam in umbra Aegypti: reprobastis verbum et sperastis in calumnia et tumultu,* nihil habent antiquius, quam ut fucum facientes incautis et imperitis, eos per simulationem et hypocrisim in errores trahant, palam dictitantes sese minime reiicere Ecclesiam catholicam et eius visibile Caput, imo puritatis catholicae doctrinae se esse studiosos, seque antiquae fidei haeredes et solos catholicos esse, dum reipsa divinas omnes praerogativas vicarii Christi in terris nolunt agnoscere, nec eius supremo magisterio obsequuntur. Ut autem hereticas suas doctrinas late diffundant, scimus etiam eorum nonnullos munus docendi sacram theologiam in universitate Bernensi assumpsisse, sperantes hac ratione posse novos e iuventute catholica asseclas suae damnatae factioni lucrifacere. Nos quidem huiusmodi deplorabilem sectam, quae tot errores adversus praecipua catholicae fidei principia e veteri haereticorum penu deprompta, in medium protulit, quae catholicae religionis fundamenta evertit, quae dogmaticas definitiones oecumenici Concilii Vaticani impudenter reiicit, quae ad ruinam animarum tot modis incumbit, iam reprobavimus ac damnavimus, eosque infelices

homines qui ad eam pertinent eique adhaerent et favent, ab Ecclesiae communione segregatos et tamquam schismaticos esse habendos, nostris litteris die 21 novembris anno 1873 editis, ediximus ac declaravimus. Hoc ipsum rursus nunc palam declarantes, muneris nostri esse putamus, Venerabiles Fratres, vobiscum agere, ut pro spectato zelo vestro et pro egregia vestra virtute, cuius illustria exempla in tribulationibus pro Dei causa sustinendis edidistis, omni qua potestis ratione, fidei unitatem in fidelibus vestris tueamini, iisque in mentem revocetis, ut ab insidiosis illis gregis Christi hostibus, eorumque venenatis pabulis omni studio caveant, ut ab eorum religiosis ritibus, instructionibus, cathedris pestilentiae quas ad sacras doctrinas tradendas impune posuerunt, ab eorum scriptis et quacumque contage omnino refugiant, ut cum intrusis presbyteris et a fide apostatis qui audent obire munera ecclesiastici ministerii, quique legitima missione et omni iurisdictione carent, nullam sibi consuetudinem et congressum esse patiantur, ab iisque abhorreant tamquam ab alienis et furibus, qui non veniunt nisi ut furentur, mactent et perdant. Cogitare enim debent Ecclesiae filii, id agi ut custodiatur pretiosissimus fidei thesaurus, sine qua impossibile est placere Deo, ac pariter agi, ut ipsi rectam iustitiae viam tenentes, olim reportent finem fidei salutem animarum suarum.

Quoniam vero agnoscimus isthic ab auctoritate civili, praeter caeteras leges divinae constitutioni et auctoritati Ecclesiae infensas, alias etiam editas

esse omnino adversantes canonicis praescriptionibus, quae christianum Matrimonium respiciunt, iisque legibus auctoritatem et iurisdictionem Ecclesiasticam esse penitus oppressam, facere non possumus, Venerabiles Fratres, quin vos in Domino hortemur, ut opportunis instructionibus catholicam de christiano Matrimonio doctrinam quam tradit Ecclesia, fidelibus vestris explicetis, eorumque in mentem revocetis ea, quae saepius nostris Apostolicis litteris aut allocutionibus, praesertim die 9 septembris, anno 1852, et die 27 eiusdem mensis eodemque anno, de hoc Sacramento inculcavimus, quo ipsi sanctitatem et vim huius sacramenti penitus perspiciant, et canonicis legibus in hac re sese pie conformantes, vitare possint ea mala, quae ex contempta Matrimonii sanctitate in familias et in societatem humanam dimanant.

Plurimum autem confidimus in Domino, vos, Dilecti Filii Parochi et ecclesiastici viri, qui non solum in vestram sed in aliorum etiam sanctificationem et salutem positi estis, vos inquam in tanta impiorum conspiratione et in tot seductionum periculis, pro vestra pietate et zelo, cuius egregia argumenta habuimus, valido solatio et auxilio futuros Episcopis vestris, et sub eorum ductu strenuam et alacrem daturos operam ut Dei, Ecclesiae, et salutis animarum causam diligenter agatis, utque stantium fidelium virtutes confirmetis, mutantium infirmitati opitulemini, et ea apud Deum merita, quae adepti estis, patientia, constantia, sacerdotali fortitudine, in dies magis augeatis. Graves quidem

sunt labores quos sustinere debent hoc tempore qui pro Christo legatione funguntur; sed fiducia nostra in Eo esse debet qui vicit mundum, quique in suo nomine adlaborantes adiuvat, eosque immarcescibili corona gloriae remuneratur in coelis.

Vos autem, Dilecti Filii fideles universi in Helvetia degentes, quos ob sollicitudinem quam de vestra salute gerimus paterno cum affectu alloquimur, Vos probe intelligentes, quam pretiosum est donum catholicae fidei quod Deus vobis largitus est, nulli nunquam curae, nulli labori parcite ut donum illud fideliter custodiatis, ac avitae religionis gloriam, quam a maioribus accepistis, incolumen ac integram conservetis. Illud itaque summo studio Vobis commendamus, ut legitimis vestris Pastoribus, qui ab hac Apostolica Sede legitimam missionem acceperunt, quique pro animabus vestris advigilant, tamquam rationem pro iis Deo reddituri, firmiter constanterque adhaereatis, eorumque voces obsequenter excipiatis, ac prae oculis habentes aeternae veritatis verba, quae dixit *qui mecum non est contra me est, qui mecum non colligit spargit*, eius doctrinae obsequentes sitis, eius suave iugum diligatis, reiicientes impigre a vobis eos, de quibus a Redemptore nostro dictum est: *attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt Lupi rapaces.* Antiquo igitur humani generis hosti resistite fortes in fide, *donec Dei omnipotentis dextera omnia diaboli arma confringat, cui ob hoc aliquid audere permittitur, ut a fidelibus Christi gloria maiore vincatur....*, *quoniam*

ubi veritas est magistra, nunquam desunt divina solatia (1).

Haec vobis, Venerabiles Fratres, et Dilecti Filii scribenda censuimus pro supremi Nostri ministerii munere, quo universum Christi gregem ab omni fraudis periculo eripere, eiusque salutem ac fidei et Ecclesiae unitatem tueri tenemur. Quoniam vero omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, Ipsum ex corde precamur ut vires vestras in certamine confortet, ac suo vos praesidio et protectione tueatur, utque istam regionem propitius respiciat quatenus destructis erroribus et impiorum consiliis veritatis et iustitiae tranquilla pace fruatur. Nec porro omittimus pro miseris etiam errantibus supernum lumen implorare, ut desinant thesaurizare sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, et ab errore viae suae, dum adhuc tempus eis datur sincera poenitentia convertantur. Vos Venerabiles Fratres et Dilecti Filii fervidas preces vestras nostris coniungite, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno, ac accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam vobis singulis universis in pignus praecipuae nostrae caritatis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 23 Martii 1875 Anno Vigesimonono.

PIUS PP. IX.

(1) S. Leo *in epistola ad Martinum Presbyterum.*

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ORDINIS S. BENEDICTI ABBAS
AD SANCTI PETRI SOLESMESII IN GALLIA
NONNVLLIS HONORIS INSIGNIBVS DECORATVR

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Ecclesiasticis viris, quos nostra haec tulit aetas Religione, doctrina et Catholicae rei provehendae studio atque industria maxime insignes optimo quidem iure adscribendus est dilectus filius Prosper Guéranger Abbas ad Sancti Petri Solesmesii ac summus in Gallia Magister Congregationis Benedictinae. Hic cum abundaret ingenio excellentisque eruditionis atque in Canonicis disciplinis scientiae laude ad id per longum suae vitae cursum semper intendit animum ut gravissimis editis scriptis, pro Catholicae Ecclesiae doctrina et Romani Pontificis praerogativis strenuissime propugnaret; adversariorum frangeret conatus, erroresque refutaret. Neque vero quum Nos, plaudente Christiano populo, Sanctae Dei Genitrici Coeleste Immaculatae Conceptionis praeconium, sollemni decreto confirmavimus; neque novissime quum

Romani Pontificis ex Cathedra docentis infallibilitatem frequentissimo universi Catholici Orbis Antistitum consessu approbante sancivimus, idem dilectus filius Prosper Catholici scriptoris officio defuit immo vulgatis operibus fidei sacraeque scientiae plenissimis novum dedit praestantis ingenii sui immotaeque erga Beatissimi Petri Cathedram observantiae testimonium. Sed in quo ipse curas omnes cogitationesque collocavit, potissimum illud fuit, ut Romana Liturgia in Galliam veluti postliminio remearit. Qua quidem in re ita se gessit, ut eius scriptis nec non constantiae atque industriae singulari prae ceteris acceptum referri debeat si antequam ipse ex hac vita migravit cunctae Galliae Dioeceses Romanae Ecclesiae Ritus amplexae sunt. Hoc in Catholici nominis procurando bono tota fere vita transacta veluti, in novum redundat splendorem Congregationis Benedictinae in Gallia consistentis, satis quidem aliis nominibus clarae, ita novum a Nobis quodammodo postulat propensae animi voluntatis documentum. Cum igitur e Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris quam plurima prodierint exempla, Nobis ad imitandum relicta, quibus illi certos honores ac munera nonnullorum Religiosorum Coetuum Alumnis ita semper addiderunt, ut illi maiores inde spiritus sumerent ad religionem colendam, sapientiae laudem potiundam, Christianasque virtutes exercendas, hinc est quod Nos singulos atque universos quibus Nostrae hae Litterae favent ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis

si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio, certa scientia et matura deliberatione, deque Apostolicae Potestatis Nostrae plenitudine volumus ac decernimus, ut deinceps perpetuis futuris temporibus Abbas ad S. Petri Solesmesii, pro tempore existens Cappae Magnae, servatis servandis, usu fruatur, utque locus inter Consultores Congregationis Venerabilis Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositae, succedente illius pro tempore vacatione uni ex Monachis S. Benedicti Congregationis Cassinensis concedi atque adscribi debeat, vel si alias ab hac S. Sede Apostolica concessus adsignatusque fuerit, confirmetur. Haec volumus, mandamus edicimus decernentes praesentes Nostras Literas firmas semper fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinet et pro tempore quandocumque pertinuerit plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et, quatenus opus sit, dictae Congregationis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis Superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis

ac aliis decretis in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet facientibus, concessis approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIX. Martii MDCCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno XXIX.

F. CARD. ASQVINIVS.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS ANDREAE IGNATIO ARCHIEPISCOPO VLTRAIECTENSI, EIVSQVE SVFFRAGANEIS, ET DILECTIS FILIIS CATHOLICIS VNIVERSIS IN HOLLANDIA COMMORANTIBVS.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES ET DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

In universa Dei Ecclesia custodes et vindices Catholicae Fidei et unitatis pro supremo Nostro Apostolico ministerio constituti omnem sollicitudinem adhibere debemus, ut hoc munus sancte et fideliter tueamur. Hac Nos sollicitudine impellente praesentes has litteras ad Vos Venerabiles Fratres, et Dilecti Filii, mittendas esse putavimus. Agnovimus enim ex epistola ad Nos data superiori mense exeunte, cui subscriptum erat nomen Cornelii Iohannis Mulder, qui decanum se appellat pseudo-Capituli Ultraiectensis, Henricum Loos, qui ab Ultraiectensibus schismaticis temere, inaniter, irrito Archiepiscopus fuerat electus, et illicite, illegitime ac sacrilege consecratus, atque ideo cum electoribus et consecratoribus suis ab hac S. Sede maiori excommunicatione confixus, interdicto etiam ipsi omni cum ordinis tum iurisdictionis exercitio, ex hac vita migrasse, ac in eius locum pseudo-Canonicos Ultraiectenses

alium quemdam nomine Iohannem Heykamp subrogasse, eumque in Ultraiectensem Archiepiscopum die 15 Decembris anno proxime elapso elegisse. Nec porro erubuerunt praedicti Ianseniani schismatis et errorum asseclae summa dissimulatione tamquam ipsi essent in Catholicae Matris Ecclesiae sinu, quem dilacerare pergunt, suis litteris quibus Nos de hac electione docuerunt, eiusdem electi confirmationem a Nobis efflagitare, Nos quidem, Venerabiles Fratres, et Dilecti Filii, magno commiserationis sensu nuncium accepimus de illius pseudo-Archiepiscopi Ultraiectensis vitae exitu, dolentes quod non ante a pertinacia sua, quam a vita decesserit, ac deploravimus vehementer infelices eos eiusdem schismatis et errorum socios in sua contumacia nihil divinis iudiciis deterritos permanere.

Iamvero hanc luctuosam animi obstinationem in iis perspicientes qua inconsutilem Christi vestem scindere pergunt, et toties irrogatas sui similibus poenas aspernantur, Apostolico munere, sacrisque Canonum legibus adducti, ut qui ad sanitatem redire nolunt, saltem longe ab aliis repellantur, Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, qui paria omnes iudicia in huiusmodi electiones, aliosque contumaces ausus exercuerunt, electionem, Iohannis Heykamp in pseudo-Archiepiscopum Ultraiectensem a pseudo-Canonicis Ultraiectensibus factam nullam, inanem, illegitimam ac sacrilegam Apostolica Auctoritate declaramus, eamque rescindimus, delemus, abrogamus.

Deinde sub poena excommunicationis ipso facto et sine alia declaratione incurrendae districte indicimus

praedicto Heykamp, sibi ab iis omnibus plane esse abstinendum quae Episcopalis sunt propria iurisdictionis. Quamobrem nunquam ipsi fas erit quemquam ad animarum curam et sacramentorum administrationem quovis etiam necessitatis praetextu constituere et deputare, ac alia quaecumque agere quae ad Episcopalem iurisdictionem pertinent, qua omnino caret.

Praeterea sub eadem poena excommunicationis ipso facto, et sine alia declaratione incurrendae mandamus tam eidem Iohanni Heykamp ne se cuiquam Archiepiscopo aut Episcopo consecrandum praebeat, quam pseudo-Episcopis e suorum coetu, aliisque Archiepiscopis aut Episcopis, ne eumdem inaniter et execrabiliter electum Archiepiscopum consecrare audeant. Has autem poenas decernimus sine praeiudicio illarum quas tam electus pseudo-Archiepiscopus, quam electores pseudo-Canonici Ultraiectenses noverint se incurrisse.

Dum autem haec ad Vos scribimus, Venerabiles Fratres, et DD. FF. ut Apostolicas Nostrae sollicitudinis partes impleamus, Vos pariter hortamur, ut fervidas preces Vestras Nostris adiiciatis, Deum obsecrantes, ut hos infeliciter errantes ad Christi ovile, et ad salutis portum dignetur adducere, Nobiscum, ab Eius clementia enixe exposcite, ut ipsi veram pacem et consolationem tandem exquirant, quae in solo Deo et Ecclesia Eius reperiri potest, ac pietate permoti erga seipsos, si vocem Domini audiant, suo corde nolint repugnare. Vobis vero VV. FF. et DD. FF. praecipuam ac sinceram benevolentiam

nostram confirmantes, et uberrima divinarum gratiarum munera a Domino postulantes Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 31 Martii An. 1875. Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO XISTO
TIT. S. SABINAE S. E. R. PRESBYTERO CARDINALI RIARIO
EX DISPENSATIONE APOSTOL. ARCHIEP. NEAPOLITANORVM

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Omnipotenti Deo permittente propter arcana judicia sua, ut qui nocet, noceat adhuc, qui in sordibus est, sordescat adhuc, donec Ipse adveniat reddens cuique juxta opera ejus, nonnullos iniquitatis filios in ista regione surrexisse deploramus, qui grave scandalum Christi fidelibus objicere non timent, et unitatem communionemque Catholicam isthic perturbare conantur. Compertum enim Nobis est, et ipse Nobiscum doles, Dilecte Fili Noster, miseros quosdam fidei et regularis disciplinae desertores, eo temeritatis isthic progressos esse, ut ad nefariam sectam seu factionem constituendam sub titulo « *Ecclesiae Catholicae Nationalis Italicae* » sua consilia aususque converterint, et conditis ad ejusdem regimen quibusdam statutis, quae dogma-

tico-organico-disciplinaria ab ipsis appellantur, caput etiam ac Pseudo-Pastorem jam designasse, qui sub titulo Primi Episcopi, addito Coadjutore, cui Episcopalis dignitas conferenda dicitur, et Vicario Generali, factioni eidem praeesse debeat. Haec impietatis consilia non potuerunt non gravia et acerba Nobis accidere. Agnoscis enim hoc insanae conspirationis opus eo spectare, ut zizania in ista agri Dominici parte seminetur, et corrumpatur fides istorum populorum, qui Catholicam Religionem a Principe Apostolorum acceptam integram semper inviolatamque servarunt.

Quod si inspiciatur Caput ipsum, quod huic perditorum hominum factioni praefici intenditur, ex hoc magis ac magis ejus turpitudo et pravitas elucescet. Ad hoc enim munus designatum esse accepimus notum a Catholica Religione Apostatam Dominicum Panelli Clericum Neapolitanum ob suos sacrilegos ausus jamdudum suspensionis vinculo obstrictum et irregularitati obnoxium, de quo homine plura a Nobis dicenda essent, nisi ejus facta, quae singularem impietatem, versutias, fallacias, et temeritatem illius produnt, certis apud Nos documentis, et illius magna ex parte confessionibus probata in hominum notitiam dimanassent. Illud tamen est de quo tacendum Nobis hic non esse existimamus, nempe eumdem cum olim in hac alma urbe ob necessariae doctrinae defectum ab Ordinibus Majoribus repulsus fuisset, ad Graecos schimaticos in Orientem migrasse, ibique schismaticae pravitati adhaesione praestita turpem a

Catholica Ecclesia defectionem consummasse. Cum deinde idem ipse sese Catholicae Ecclesiae reconciliari velle ostendens, affirmaret Sacerdotalem Ordinationem, et Episcopalem Consecrationem apud schismaticos accepisse, vim nimirum ecclesiasticae ordinationis ac consecrationis tribuens nocturnae cuidam clandestinaeque coerimoniae, quam profana convivia praecesserant, peteretque, ut Sacerdotalis ejus ordinatio ab hac Sancta Sede agnosceretur; tunc de hoc negotio examen mandato Nostro ab hac Romana Suprema Inquisitionis Congregatione rite istitutum fuisse, et re accurate ac mature expensa eam a praedicta Congregatione sententiam latam esse Nostra etiam auctoritate probatam, de memorati nempe Dominici Panelli Ordinationis et Consecrationis validitate nullo pacto constare; ac proinde illum in numero tantum Clericorum haberi posse, et perpetuo inhabilem ad cujuslibet Ordinis exercitium esse censendum.

Iamvero cum ex iis, quae breviter significavimus perspicue pateat, quae sint molitiones, qui molitores, a quibus istius populi fidei insidiae struuntur cumque in ejusmodi adjunctis filiorum Nostrorum paterna Nostra erga eos caritas, et supremi ministerii ratio Nos tacere non patiatur, Nos Dilecte Fili Noster, ad occurrendum scandalis, et ad lupos arcendos, qui perniciem Christi ovibus meditantur, illud sine mora consilium a Nobis suscipiendum esse duximus, quod ex Sacrorum Canonum praescripto, ex Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo praesto Nobis esse cognoscimus.

Quare Suprema Nostra Apostolica Auctoritate schismaticam et haereticam factionem, quae titulum Catholicae Ecclesiae nationalis italicae assumit, quaeque facto ipso negat unam esse fidem, unam Ecclesiam, unum Visibile ejus Caput a Christo Domino constitutum, dum novum isthic et profanum humanae religionis aedificium juxta elementa mundi et hujus saeculi placita exscitare audet, detestamur, damnamus ac reprobamus, omnesque, si qui ei misere nomen dederunt ac dederint, ab unitate Catholica defecisse edicimus et pronunciamus.

Auctoritate praeterea Omnipotentis Dei, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, Apostatam Dominicum Panelli, qui laqueus ruinae populo Dei, et offendiculum iniquitatis fieri non timet, aliosque ejus temeritatis et Apostasiae socios ei quomodolibet opem, operam, consilium, assensum, favorem praestantes aut praestituros hisce Nostris litteris solemniter excommunicamus, anathematizamus: et eum aliosque praedictos ab Ecclesiae corpore segregatos, ac prorsus ab omnibus vitandos esse statuimus, decernimus, denunciamus.

Nunc vero dum Nos haec Apostolicae providentiae et caritatis Nostrae studia ac officia erga fideles Nobis carissimos praestanda censuimus, de quorum religione et devota voluntate erga Nos et hanc Apostolicam Sedem nova nuper et illustria testimonia excepimus, facere non possumus, quin Te, Dilecte Fili Noster, in partem sollicitudinis Nostrae vocatum ad operam et zelum tuum curis Nostris conjungendum in custodiendis a qualibet

impietatis contagione iisdem fidelibus, excitemus. Eos itaque admoneas, ut caveant a fraudolentiae et iniquitatis insidiis quae ad eorum perniciem spectant; iis in mentem revoces haereses et schismata a Deo permitti, ut probentur electi; ac nihil ipsis praeclarius et salutarius fore, quam si in hac saeculi nequitia id strenue curent, ut probatio eorum fidei multo pretiosior auro, quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, et gloriam, et honorem in revelatione Jesu Christi.

Nec vero si in causa tam gravi armis spiritualibus in operarios iniquitatis uti coacti sumus, oblivisci tamen possumus Nos pro Christo legatione fungi, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat. Quapropter illos etiam monere et hortari non omittimus per Viscera Dei nostri, per adventum D. N. J. C. ut serio cogitent, quod Redemptor Noster inquiebat: « vae illi per quem scandalum venit » ac statim a perditionis via recedant, et ab eorum numero, in quos illud Prophetae, ut luctuosa experientia docet, misere impletur: « *fiat via illorum tenebrae et lubricum, et Angelus Domini persequens eos* ». Ut autem Deus clementiae eorum mentes suo lumine illustret, et corda flectat fervidam apud Ipsum preces, Dilecte Fili Noster, effundere non cessemus; at si nihilominus sunt ex illis, qui ob impletam iniquitatis mensuram in profundum demergi volunt, nec ullum emergendi studium admittunt, Deum precemur, ut in iis sistat nefandum ulcus, nec ullam partem sani gregis inficiat. Tibi demum tuoque Clero ac Fidelibus im-

plorantes ex corde, ut Dei virtus et splendor sit jugiter super Vos, et gratia vobis ac pax multiplicetur, in auspicium horum caelestium munerum, et in pignus peculiaris benevolentiae Nostrae Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Julii 1875. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI ANTONIO PETRO IX.
PATRIARCHAE ARMENO - CATHOLICO CILICIAE

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Amicitiam tentatione probari persuasum est omnibus, Venerabilis Frater. Cum itaque tu clerusque et populus Armeno-Catholicus, cui praees, adeo fortiter omnia adversa sustinueritis pro fide, et adeo constanter in communi tentatione Nobiscum permanseritis; nobilius omnino et luculentius facto vestro, quam amplissima qualibet verborum significatione devotissimum huic Petri Cathedrae demonstrastis animum. Officia idcirco vestra, utpote ex imo prolata corde, amantissime excepimus. Memores autem divinae illius sententiae: *quia acceptus eras Deo necesse fuit ut tentatio probaret te*, gratulamur dignos vos inventos fuisse hujusmodi probatione; Deoque gratias agimus quod vos in tribulationis igne positos non modo sustentaverit, sed constantiae vestrae et operositati eam contulerit efficaciam; quae vobis ipsos conciliaverit eterodoxos, compluresque ex errantibus ad vos reduxerit. Qui sane fructus iis in

adiunctis partus, in quibus vi, simulate, versutia premebamini, cum apertum divini favoris indicium exhibeat, sicuti Nobis iucundissimus accidit, sic vos erigere debet et ad urgendum susceptum pro iustitia certamen incendere. Alacrius itaque semper eam agite causam, quae, dum causa Dei est et Ecclesiae, causa est etiam animarum vestrarum, causa gentis vestrae. Perseveranter orate pro Ecclesia, pro vobis, pro iis qui vos persequuntur, conamini parare viam Domino, et fidenter expectate auxilia de sancto ac victoriam veritati tandem concedendam. Supernae interim gratiae munera vobis affatim adprecamur, eorumque auspicem esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam praecipuae Nostrae benevolentiae testem tibi, Venerabilis Frater, totiusque Patriarchatus tui clero et populo Armeno-Catholico peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 5 Iulii 1875. Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
BAILLOUD PRAESIDI ET CONSILIIS CATHOLICIS GALLIAE

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gaudemus, Dil. Fil. sic vos excepisse litteras Nostras Apostolicas de sacro Iubilaeo, ut per hoc tempus acceptabile et hosce dies salutis non soli sanctificationi vestrae consulendum duceretis sed et proximorum, de quibus unicuique Deus mandavit. Et quoniam nihil in verum animorum profectum utile aut firmum constitui potest, quod sana non nitatur doctrina, aut a vero quomodocumque deflectat; vos, quibus solidum fratrum bonum propositum erat, prudentissime plane decrevistis huiusce veritatis cathedrae documenta fideliter obsequenterque sectari, eaque duce ab omnibus sedulo cavere erroribus periculosisque sententiis, et iis praesertim quas Apostolicae Litterae « *Quanta Cura* » iunctusque ipsis errorum *syllabus* proscripserant. Laeti vero conspicimus constantiam, quam

inito consilio instatis et amplos inde perceptos a vobis fructus, sive in propagandis religionis nostrae sanctissimae principiis quae sola possunt nutantis humanae societatis fundamenta solidare sive in avertenda errorum diffusione, sive in iis opinionibus reiiciendis, quae vera falsis conciliaturae veritatis vim obtundunt impedimentaque iniiciunt eius triumpho, sive in asserendo Ecclesiae iure quoad adolescentiae inventutisque institutionem, sive in excolendo populo eiusque praesertim operaria classe, sive in aliis ad quae caritas vestra latius porrigitur in dies. Facile pro religione vestra intelligitis Dil. fil. efficaciam hanc qua foecundantur opera vobis pro Dei gloria et animarum salute suscepta non aliunde ipsis obvenire posse quam a divina virtute qua vivificatur Ecclesia, et per visibile eius Caput in omnia ipsius membra transfunditur. Quamobrem dum gratulamur uberi consociationis vestrae profectui merito confidimus, vos, propria etiam experientia confirmatos, impensiore semper observantia et dilectione adhaesuros huic Sanctae Sedi, novasque ita semper ab ipso ducturos vires ad operositatis vestrae beneficia dilatanda. Id Nos certe vobis ominamur atque adprecamur Dilecti filii, dum superni favoris auspicem et paternae benevolentiae Nostrae testem apostolicam Benedictionem vobis omnibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum 22 Iulii 1875 Pont. Nostri anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS EPISCOPALEM ATHENARVM SEDEM
IN ARCHIEPISCOPALEM ERIGITVR

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Apostolatus officium, meritis licet imparibus Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praevidemus, utiliter exequi, adiuvante Domino satagentes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de Ecclesiarum regiminibus committendis agitur, tales eis Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae concreditum sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare commissasque sibi Ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter Gubernare. Dudum siquidem Ecclesiarum omnium nunc et in posterum vacantium provisiones ordinationi et dispositioni nostrae reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Iam vero quo catholicorum hellenici regni necessitatibus sempiternaeque illorum fidelium saluti satis foret consultum, eiusdem regni Sacrorum antistites enixis precibus cum postularent ut latinum Archiepiscopum Archiepiscopali iurisdictione coeterisque huius muneris propriis facultatibus auctum Athenis residere decerneremus. At quamvis florentissima haec civitas praedicatione Bmi Petri Apostoli a primis ecclesiae temporibus Christi fide imbuta sua sit, rerum tamen ac temporum vices hisce precibus iampridem porrectis satisfacere Nos prorsus prohibuerunt.

Modo autem, cum immutata sit rerum conditio, visum est nobis de consilio Ven. FF. Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi Christiano nomini Propagando praepositae denuo iteratis hac de re eorumdem Sacrorum antistitum postulatis annuere. Quae cum ita sint rebusque omnibus cum Ven. praefatae Congregationis FF. nostris S. R. E. Cardinalibus mature perpensis Apostolica Auctorite nostra decernimus ut Latinus Archiepiscopus Athenis resideat cum plena potestate et iurisdictione episcopali in ipsa Athenarum civitate eiusque portu quem Piraeum vocant atque in Aradensi missione exercenda, Tibique, ven. Frater, qui pastorali zelo, ac rerum gerendarum peritia summopere commendaris, huiusmodi munus demandare censuimus. Quare te a vinculo, quo teneris Ecclesiarum Tenensis et Miconensis invicem perpetuo canonice unitarum de Apostolicae potestatis plenitudine absolvimus, Teque de consilio item Ven. Fratrum Nostrorum Congregationis de Propaganda Fide Apostolica Auctoritate nostra Te tenore

praesentium promovemus, eidemque Ecclesiae Atheniensi in Archiepiscopum praeficimus et Pastoralem curam, regimen et administrationem eiusdem Ecclesiae Tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; Tibi praeterea, Ven. Frater, ad tramitem Apostolicarum Literarum a felicis recordationis Gregorii XVI die 19 Augusti anno 1834 datarum delegati Apostolici officium tum in Peloponneso aliisque continentis Graeciae plagis cum in insulis in quibus nullus ex Episcopis in Aegeo mari existentibus iurisdictionem exercet confirmamus. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta animi devotione suscipiens curam ac administrationem praedictas sic adimplere studeas sollicite fortiter et prudenter ut atheniensis Ecclesia praedicta provido Gubernatori et fructuoso administratori gaudeat se esse commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium, Nostram quoque et Apostolicae Sedis gratiam et benedictionem exinde uberius consequi merearis. Non obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et Synodalibus Comitiis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 23 Iulii 1875. Pontificatus Nostri Anno trigesimo.

F. Card. Asquinius

EPISTOLA

SERENISSIMO GIORGIO I° GRAECIAE REGI ILLVSTRI

PIVS PP. IX.

SERENISSIME REX SALVTEM

Fuit Nobis plane iucundum et gratum intelligere Regiam Maiestatem Tuam benevolo complecti animo Catholicos Tuae Regiae ditioni subiectos, quae res non modo Tui animi nobilitatem sapientiamque commendat, sed etiam merito efficit, ut Catholici ipsi nihil impensius cupiant, quam ut Te pari amore et observantia prosequantur. Nec minori cum voluptate audivimus Regiam Maiestatem Tuam plura suae benignitatis et studii argumenta erga Ven. Fratrem Iohannem Marangò Episcopum Tynensem et Miconensem, et Nostrum Athenis Delegatum Apostolicum exhibuisse, qui de hac optima Maiestatis Tuae erga se voluntate Nobis significare non omisit, intelligens hanc rem Nobis gaudio et consolationi plane futuram. Quod reipsa ita accidit, Serenissime Rex, Cum videamus a Te Virum illum sua integritate,

religione ac fide Nobis acceptum, Tuo regio favore dignum esse iudicatum. Nunc vero cum Nos maiorem utilitatem Fidelium istius Regni procurare cupientes quorum exiguus numerus in ista Tua principe Urbe reperitur, decreverimus eumdem Ven. Fratrem Iohannem Marangò a vinculo quo Ecclesiae Tynensi obstrictus tenebatur exolvere, ut stabili modo, et cum plena auctoritate ac iurisdictione tamquam Archiepiscopus Latinorum in ista illustri Civitate residere possit, ac spiritualibus istorum Fidelium necessitatibus opportune consulere, de hac re Maiestatem Tuam certiorem facere existimavimus. Eamque etiam atque etiam rogamus, ut praedicto Ven. Fratri suam benevolentiam, favorem ac studium servare velit, profitentes eodem tempore non modo ipsum sed et Nos hoc nomine Maiestati Tuae devinctos fore, qui omnia officia erga catholicos eorumque Pastores impensa, tamquam in Nos ipsos collata respicimus. Dum hoc ab spectata Tui animi amplitudine, Serenissime Rex, Nobis pollicemur, interim Deum Clementissimum ex corde precamur, ut Regiam Maiestatem et Familiam Tuam incolumem diutissime servet, Nosque det esse inter Nos perfecta, ac semper mansura caritate coniunctos.

Datum Romae apud S. Petrum die 24 Iulii An. 1875. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE IN DVAS DISTINCTAS MISSIONES PRAEFECTVRAE APOSTOLICAE DE KOVANG-TONG ET KOVANG-SI

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Simul ac ad nos relatum est admodum in rem fore Religionis Nostrae SSmae si praefectura Apostolica de Kouang-tong et Kouang-si latissime patens in duas distinctas Missiones dividatur cum Ven. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis rem communicavimus, omnibusque rationum momentis sedulo attenteque perpensis ad propositam divisionem deveniendum censuimus. Quae cum ita sint, de memoratorum VV. FF. Nostrorum consilio Praefecturam Apostolicam de Kouang-tong et Kouang-si in duas proprias ac distinctas Praefecturas hisce litteris Apostolica nostra auctoritate dividimus. Harum uni de Kouang-tong, alteri de Kouang-si nomen Praefecturae facimus; ac volumus ut eiusdem utraque circumscribatur finibus quibus praedictae Provinciae sese inter discernuntur: tandem

Praefectura de Kouang-tong veteri restet sub Praeside, quae vero de Kouang-si nominatur, novo ac proprio Praesuli committatur. Haec volumus, mandamus, edicimus, decernentes praesentes nostras Litteras firmas validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, dictisque in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in omnibus praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis ac in universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non dictae Praefecturae etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 6 Augusti 1875. Pontificatus Nostri Anno trigesimo.

F. CARD. ASQVINIVS

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS IGNATIO ARCHIEPISCOPO VLTRAIECTENSI, EIVSQVE SVFFRAGANEIS, ET DILECTIS FILIIS CATHOLICIS VNIVERSIS IN HOLLANDIA COMMORANTIBVS.

PIVS PP. IX.

VEN. FRATRES ET DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Nostis pro supremi Nostri Apostolatus officio Nos litteras ad vos die 31 Martii hoc anno dedisse, quibus electionem Iohannis Heykamp in pseudo-Archiepiscopum Ultraiectensem a pseudo-Canonicis Ultraiectensibus factam, de qua Decanus pseudo-Capituli Ultraiectensis Nobis significare non erubuit, nullam, inanem, illegitimam et sacrilegam Apostolica Auctoritate declaravimus, rescidimus, abrogavimus, eidemque Heykamp sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda non solum omnem episcopalis iurisdictionis usum interdiximus, sed etiam mandavimus cum ipsi ne se cuiquam praeberet consecrandum, tum pseudo-Episcopis e suorum coetu, aliisque Archiepiscopis et Episcopis, ne illum inaniter electum consecrare auderent.

At miseri Ianseniani Schismatis et errorum asseclae nihil verentes divinam in semetipsos iram provocare sceleri scelus adiunxerunt, scilicet electioni consecrationem, de qua idem Heykamp, qui nefariam illam manuum impositionem excepit, per litteras die tertio elapsi mensis Iunii Nos certiores facere non dubitavit, subdola obsequii verba erga hanc Apostolicam Sedem expromens dum eodem tempore hac execrabili actione, et temeritatis suae dissimulatione, et iis etiam quae scribit de praerogativis Apostolicae Sedis, quas universa Ecclesia agnoscit et reveretur suam perversitatem et contumaciam maxime confirmat.

Nos igitur occurrentes tantae temeritati et scandalo, et debitam pro Nostro munere sollecitudinem adhibentes, ne quis intrinsecus rapax sub ovis vestimento lupus ad Domini gregem dispergendum ingrediatur, tradita Nobis a Deo potestate primum illam consecrationem Iohannis Heykamp, illicitam, illegitimam, sacrilegam contra Supremae Sedis mandata, ac sacrarum legum sanctiones factam declaramus, reiicimus, detestamur, tum eumdem Iohannem Heykamp sacrilege consecratum, et cum ipso Iohannem Rinkel pseudo-Episcopum Harlemensem, qui consecratoris partes egit, unaque eos omnes qui operam suam huic execrabili facto commodarunt, et quicumque illis adhaeserunt, opemque, consensum et consilium praestiterunt excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae Communione segregatos, et prorsus schismaticos habendos, et evitandos esse constituimus, edicimus declaramus.

Sciat autem idem Iohannes Heykamp sibi, nisi novis se poenis obligatum velit non solum ab iis omnibus exercendis plane esse abstinendum, quae, sunt iurisdictionis, prout fuit a Nobis in litteris die 31 Martii ad Vos datis expressum, sed ab iis etiam, ut nunc pronunciamus, quae sunt Ordinis. Quamobrem nunquam ipsi fas erit sacrum chrisma conficere, sacramenta confirmationis et Ordinis administrare, et alia quaecumqne agere, quae ad Episcopalem Ordinem, quem nullo modo licite exercere potest, referuntur.

Dum autem tantam Vobiscum, VV. FF. et DD. Filii, eorum coecitatem deploramus, qui se decipiunt sibique misere illudunt, et in quam semel prolapsi sunt animae suae ruinam in eamdem se magis impellunt, Vos etiam hortamur, ut assiduis deprecationibus Dei misericordiam implorare conemini, quae rebellium corda frangens ea ante diem irae et extremae calamitatis ad poenitentiam convertat. Vobis autem qui Vestra eximia religione et obsequio erga hanc Apostolicam Sedem dolorem illum consolamini, quem ex refractariorum pervicacia et temeritate capimus, omnium caelestium gratiarum plenitudinem summis votis a Domino adprecamur, et in pignus peculiaris benevolentiae Nostrae, ac in Divinae benignitatis auspicium Apostolicam Benedictionem peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 25 Augusti Anno 1875. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

PIVS PP. IX

EPISTOLA

DILECTO FILIO PRAESIDI ET CONVENTVI
CATHOLICO ITALO

PIVS PP. IX

DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Libentissime discimus, Dilecti Filii, vos brevi conventuros esse Florentiam, ibi de re catholica tuenda promovendaque rursus acturos. Et qui periucunde vidimus, quam utilia fuerint praeteriti coetus vestri studia tanto isti negocio; merito confidimus, non levius obventurum religioni et moribus emolumentum ex alteris hisce comitiis. Cavete tamen, ne vobis sese falsi fratres immisceant; illi videlicet, qui sive obliquis imbuti opinionibus, sive non considerantes aut non intelligentes intrinsecam indolem, vim, malitiam praesentium vicium, seque sapientes arbitrati, pugnantia inter se principia componi valere arbitrantur, et concordiam inter infestissimos religionis osores ac eiusdem sectatores, per hanc, aut illam politicam conventionem, perinde posse restitui, ac si per tenue fomentum cuti admotum

profundum viscerum ulcus sanare liceret. Hi, qui pacem ubique clamitant et viam pacis, quae in sola tranquillitate veri solidique ordinis posita est, non cognoverunt, dum paci se servire ducunt; dissidia serunt inter fratres, unitatis robur, hostibus inexpugnabile, dissolvunt, ac inscii efficacissime suffragantur eorum causae. Liberalis itaque catholicismi perniciosissimas insidias a vobis arcete, quae zelum laboresque vestros vel irritos essent facturae, vel enervaturae, vel privaturae fructibus. Inhaerete firmiter professioni in praeterito emissae conventu; cum sciatis, propositum vestrum huiusce Sanctae Sedis sententiae perfecte cohaerere, et eos omnes a veritate aberrare, qui, propria confisi sapientia, ab ipsius documentis desciscunt. Nos faustissimum adprecamur exitum studiis vestris; eiusque auspicem esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam paternae Nostrae benevolentiae testem vobis omnibus, Dilecti Filii, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 9 Septembris Anno 1875. Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE CONCESSIONE PONTIFICALIBVS VTENDI FACTA DVABVS PRIMIS DIGNITATIBVS METROPOLITANI CAPITVLI LEOPOLIENSIS RVTHENORVM

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Tempus in quo versamur maxime postulat ut ea ultro concedamus quae ad augendam Clero dignitatem facere possunt. Itaque cum Ven. Frater Josephus Sembratowicz Archiepiscopus Leopoliensis Ritus Graeci Rutheni, Nos nuper oraverit, Pontificalium usum eo quidem modo ac forma quibus Archimandritae Basiliani exercere illa consueverunt, duabus primis dignitatibus Metropolitani sui Capituli Leopoliensis, Nos cum Veneralibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis Fidei propagandae pro Negotiis Ritus Orientalis, mature re communicata, seduloque perpensa, memorati Ven. Fratris Josephi annuendum votis, quibus Metropolitani templi et Sacrarum Caeremoniarum splendori ac maiestati prospicitur, existimavimus. Quae cum ita sint singulos atque universos quibus Nostrae

hae Litterae favent ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Pontificalium usum duabus primis dignitatibus metropolitani Capituli Leopoliensis Ruthenorum de Ven. Patrum Cardinalium, quos supra nominavimus consilio, auctoritate Nostra Apostolica, hisce perpetuo valituris Litteris decernimus atque elargimur, ad normam tamen Decreti Congregationis Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris Ecclesiae Ritibus praepositorum a Pio VIII Praedecessore Nostro recolendae memoriae approbati per Constitutionem IV Nonas Julias Anni MDCCCXXIII datam, quam quidem Constitutionem tamquam hic insertam et ad verbum expressam haberi mandamus. Decernimus porro praesentes Nostras Litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdemque primis dignitatibus eorumque successoribus, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores, Sedis Apostolicae Nuntios ac S. Ecclesiae Romanae Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritam et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec.

Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque Constitutionibus Apostolicis coeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 14 Septembris 1875. Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

F. CARD. ASQVINIVS

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS METROPOLITANI TEMPLI LEOPOLIENSIS RVTHENORVM CANONICIS ET CVRATO CLERO OBTEGENDI PILEOLO CAPVT FACVLTAS IMPERTITVR

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Ex more institutoque Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum, Ecclesiasticis viris, iisque praesertim qui conspicuis in Templis cultui divino vacant, peculiaria ac propria decernimus ornamenta, si alicujus momenti rationes id suadere videantur. Cum itaque Venerabilis Frater Josephus Sembratowicz Archiepiscopus Leopoliensis Graeco Rutheni ritus, Nos nuper facultatem oraverit utendi in Divinis officiis pileolo demisso et rotundo violacei coloris, cum aurea cruce, Metropolitani sui Capituli Canonicis, nigri vero coloris Curato ejusdem Cathedralis Ecclesiae Clero, ad cavendos morbos, et alia removenda incommoda quae ex aeris inclementia, et brumae rigore obvenire ibidem solent, Nos mature re communicata cum Veneralibus Fratribus Nostris S. R. Ecclesiae Cardinalibus Congregationis

Propagandae Fidei pro negotiis Ritus Orientalis, memorati Venerabilis Fratris Josephi votis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint singulos atque universos, quibus Nostrae hae litterae favent, ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis, censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, de Consilio Patrum Cardinalium, quos supra nominavimus, ut Canonici Metropolitani Templi Leopoliensis Ruthenorum usu fruantur in Divinis Officiis Pileoli demissi ac rotundi violacei coloris, cum aurea cruce, nigri vero coloris Curatus ejusdem Templi Clerus, hisce perpetuo litteris valituris, Apostolica Nostra auctoritate concedimus. Decernentes praesentes litteras Nostras firmas validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent, pertinuerintque, hoc, futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices Ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri recolendae memoriae, super divisione materiarum, aliisque Con-

stitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 14 Septembris 1875. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

F. C. ASQVINIVS

LITTERAE MONITORIAE

VENERABILI FRATRI IOSEPHO

PATRIARCAE BABYLONEN. CHALDAEORVM

PIVS PP. IX

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Responsum a te redditum die vigesima Februarii huius anni monitoriis litteris, Nostro iussu et auctoritate ad te datis a nostra Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis, multo nos dolore et moerore affecit: ex eo enim intelleximus, adhuc cor tuum a Nobis longe esse, etsi verbis honorem Nobis redderes; quoniam non posse te exequi profitebarìs, quae per eas litteras Nostro nomine et auctoritate tibi significabantur. Cum itaque monitionibus praedictis obedire recusaveris, et hanc inobedientiam novis etiam sacrilegis factis confirmaveris, hoc unum superesset, ut ecclesiasticas regulas et sanctorum Patrum instituta sectantes, canonicis te censuris, uti par est, subiiceremus. Verum recogitantes te catholicam fidem debitamque erga hanc Apostolicam Sedem reverentiam alias professum

fuisse ac modo in tuis litteris profiteri, eamque etiam factis olim comprobasse, existimare maluimus te deceptum fuisse vaferrimis neo-haereticorum cavillationibus, quibus conciliari posse eam reverentiam cum inobedientia contenditur, quam te a catholicis tuis sensibus reapse defecisse.

Quapropter Illius charitatem, quantum infirmitati Nostrae licet, imitari studentes, qui patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti, a promeritis censuris contra te ferendis abstinemus, donec tibi haec Nostra reddatur epistola, quam peremptoriae et novissimae admonitionis loco esse volumus. Futurum enim speramus in Deo misericordiarum, ut tu gestorum tuorum pravitatem, et causarum, quas iis excusandis praetexis, futilitatem nec non gravissimum debitum quo urgeris Ecclesiae Dei satisfaciendi agnoscens, redire velis ad cor: quaeque perperam gessisti detestari ac retractare non moreris.

Quae post tuum ad Urbem discessum, Constantinopoli primum, mox in tuo patriarcatu egeris usque ad declarationem tuae adhaesionis et submissionis decretis Concilii Vaticani editam die 29 Iulii an. 1872 praetermittere iuvat. Quae enim a te eo temporis spatio perperam patrata fuerunt, et Apostolicam Nostram sollicitudinem qua spiritualibus tuis necessitatibus consuluimus, probe cognoscis. Nos sperabamus nullam amplius doloris causam te Nobis esse praebiturum. Post hoc tempus litterae a te datae fuerunt die decimasecunda Maii ann. 1873 ad memoratam nostram Congregationem, quibus

postulabas, ut tibi facultas daretur episcopos in Malabaria constituendi; cui petitioni cum Nos annuere non possemus ob causas iam pluries tibi significatas, haud multo post, praestitutos tibi terminos transgredi non dubitasti, posthabitis omnino et despectis tum Apostolicis Nostris litteris, quarum initium *Cum ecclesiastica,* queis regulas circa episcoporum electionem servandas sancivimus, tum aliis quibus et semel et iterum tibi praecepimus, ne in Malabaria quidquam auderes. Nam duos presbyteros episcopali charactere augere eosque diocesibus regendis temere constituere, et episcopum Eliam Mellus in Malabariam destinare contra mandata nostra non es veritus, qui eiusdem regionis metropolitam se nuncupare praesumit.

Hos tuos ausus quae mala statim consequuta fuerint, et quae damna iidem catholicae Ecclesiae tam in Malabaria quam in Mesopotamia intulerint, et quantum dedecus tuae dignitati et fidei irrogarint, satis deflere non possumus. Nam adnitente praedicto Episcopo Elia, quem violatis nostris iussis in Malabariam misisti, et solemni excommunicatione, auctoritate nostra confixum, illic manere iubes. Perturbata ibi est disciplina ecclesiastica, ad ordines etiam sacros promoti iuvenes vel minus idonei vel prorsus indigni; ecclesiae catholicis fraudolenter, vel etiam violenter ereptae; contumeliis et calumniis lacessiti non solum missionarii apostolici, sed et ipse Ven. Frater Leonardus Archiepiscopus Nicomedien. qui vicaria nostra potestate in ea regione fungitur; et luctuosum schisma invectum est et fovetur. Hinc dissidia et contentiones

excitatae inter fideles Malabaricos, aliis legitimo suo Praesuli firmiter adhaerentibus, aliis intruso Eliae studentibus; qui omnes subdolas et nequissimas artes ad decipiendos incautos et simplices adhibere non destitit. Quandoquidem filius iste perditionis, non solum Apostolicas Nostras litteras, quarum initium *Speculatores*, datas ad Malabarenses die prima Augusti elapsi anni commenticias esse publice affirmare ausus est; verum eo devenit, ut Breve quoddam apostolicum, cui diem inscripsit vicesimam Augusti ann. 1872, effinxerit omnino, et commentus sit; illudque publice et solemniter tamquam Nostras litteras promulgaverit. In quo ab isto falsario Apostolicarum litterarum calumniose dicitur, actum fuisse in oecumenico Concilio Vaticano de praetenso tuo iure in Malabariam, illudque a Patribus agnitum et a Nobis probatum fuisse; non metuente huius sui mendacii tot testes, quot Patres oecumenico concilio Vaticano interfuerunt. Interea per vos huiusmodi fallaciis offunditur animis error et caligo, et veritas in malitia adulteratur; fluctuant fideles in diversa abstracti, et nonnulli ex iis, schismatico invasori adhaerentes, putant se Apostolicae Bmi Petri cathedrae adhaerere.

Si vero spectemus quae in Mesopotamia facta sunt, ibi cum gravi dolore respicimus, dioecesibus praeesse episcopos nullam cum hac Bmi Petri cathedra communionem habentes, quin contra apostolica mandata per te temere et irrito electos, sacrilege consecratos, perperam institutos. An poteras ignorare tu, qui ab infantia te in fide catholica studiose

eruditum fuisse saepius commemoras, nullum posse contradicente Apostolica Sede legitimum episcopum institui; nullamque illi potestatem inesse, quem eadem Apostolica Sedes omni iurisdictione carere declaraverit? An parum tibi videtur subversio ecclesiastici ordinis tua opera excitata, fidelium perturbatio, contentiones et aemulationes, et gravissimum scandalum quod fidelibus illatum est, et infertur per tuam inobedientiam Apostolicis mandatis; ob quam exultant infideles et haeretici, ancipites haerent qui debiles sunt in fide, firmiores autem dolent ac lugent, et non vident qua ratione Patriarchae subesse possint, qui debitam Romano Pontifici obedientiam detrectat?

Haec te ipsum intelligere ac timere satis ostendunt litterae, quibus ven. fratres episcopos tui patriarchatus contra ipsas constitutiones et mandata Nostra commovere, et in tuas partes trahere voluisti: istud confirmant dicteria calumniose contra missionarios apostolicos ipsumque Delegatum Nostrum Ven. Fr. Ludovicum Archiepiscopum Damiaten. in vulgus sparsas; confirmat cura quam a te adhiberi accepimus, ne fideles et imprimis clerus cum missionariis versentur, eorumque ope, consilio, ministerio fruantur, intentato etiam per te censurarum metu pro iis qui ad eos accesserint; confirmat demum concitata in ipsos invidia civilis potestatis, cuius praesidium adversus Apostolicae Sedis mandata et censuras, quas te promeruisse sentis, diceris invocasse. His veluti cumulus accessit altera episcoporum nefaria consecratio, quorum unum Zakuensi

dioecesi, alterum Indis destinasti; per quam eo maius scandalum fidelibus datum est, quo maiori illam apparatu et solemnitate in contemptum huius Apostolicae Sedis factam perspexerunt.

Haec sunt Ven. Frater, ut aliam omittamus quae te auctore in Malabaria et in Mesopotamia evenerunt et eveniunt: quorum pro Nostro munere a te rationem exigere cogimur, qui longe graviorem redditurus es aeterno pastorum Principi. Verum te ista non recogitare, forte etiam contemnere, timere iubent memoratae tuae litterae ad Nostram Congregationem de Propaganda Fide, quibus innocentiam tuam demonstrare contendis, fidem tuam de pontificio primatu asserens, et argumenta adducens ad praetensa tua iura circa electionem episcoporum et circa regiones Malabaricas comprovanda.

Frustra autem primatum Romani Pontificis agnoscere te ac revereri in tuis litteris profiteris, nisi de eo ita ex omni parte sentias, sicuti oecumenicum Vaticanum enucleatius explicavit et confirmavit. Primatum vero iurisdictionis admittere iure divino constitutum, eique patriarchalia, uti ais, iura, ecclesiastica ordinatione instituta opponere, queis Romanus Pontifex pro temporum, locorum causarumque ratione derogare nequeat, catholicum certe non est: et catholico episcopo indigna prorsus est quaelibet iurium seu privilegiorum suorum reservatio, qua intendat eadem ipsa supremae plenae ac legitimae B. Petri eiusque successorum ordinationi et potestati subducere.

Iam vero Nos semper existimavimus, catholi-

eam in te fidem in sua integritate vigere, et a totius Ecclesiae sensu ac doctrina te numquam dissentire voluisse. Quare cum in litteris adhaesionis tuae decretis Concilii Vaticani quas dedisti die 29 Iulii ann. 1872, declarabas tibi iura omnia, ut aiebas, et privilegia patriarchalia te velle reservata existimare non potuimus, voluisse te limitationem vel conditionem catholicae illi professioni a te editae statuere: neutrum enim cum catholica veritate vel unitate componi potuisset. Quoniam vero durior et anceps haec tua dicendi ratio videbatur, Nos hanc ad sanam doctrinam, quam te profiteri velle affirmabas, perfecte exigendam putavímus, uti deprehendere potuisti in litteris quas occasione supradictae adhaesionis tuae, die 16 Novembris eiusdem anni 1772, ad te dedimus: atque ita declarationem Nostram in iis expressam recepisti, ut ex his quae Nobis rescripsisti plane illi et cumulate acquiescere videris.

Post haec tamen non dubitasti tuam illam professionem apud tuos Episcopos propugnare ad praetensa tua iura sustinenda. Ad quos si etiam misisses exemplum memoratae Nostrae epistolae, ipsi profecto intellexissent, tuam reservationem Nobis probatam non fuisse, traditamque a Nobis de patriarcharum privilegiis veram catholicam doctrinam ex iisdem Nostris litteris hausissent et demirati etiam essent benignitatem erga te Nostram, quod cum Apostolicae Sedis indulgentia et absolutione indigeres ob ea quae a te perperam facta fuerant in illis orientalis Ecclesiae perturbationibus, eam

tibi extraordinaria prorsus ratione et maxima verborum lenitate in eadem nostra epistola impertivimus.

Dissimulare autem non possumus, magnam Nobis afferre tristitiam et grave scandalum fidelibus, cum ad excusandam tuam inobedientiam Apostolicae Nostrae constitutioni, quae incipit *Cum ecclesiastica*, huius vim et efficaciam infirmare conaris asserendo a te acceptam non fuisse; id vero citra fidei dispendium fieri potuisse, eo quod eadem constitutio non dogmaticis sed mere disciplinaribus accensenda sit. Quomodo vero admitti potest, salva divina Ecclesiae constitutione, vim et efficaciam Apostolicarum constitutionum ab acceptatione Episcoporum vel aliorum quorumcumque pendere; eas vero quae disciplinam, non fidem respiciant, impune reiici posse? Hoc certe non sentiebas tu, Ven. Frater, cum electionis tuae confirmationem postulans promittebas in tuis litteris, te Nobis obedientem et subiectum toto vitae tuae tempore futurum; et hanc subiectionem tua agendi ratione comprobabas. Hoc non senserunt qui ante te fuerunt catholici Chaldaeorum patriarchae. Hoc demum non sensit Simon ille Sulaka, quo praedecessore gloriaris. Is enim primatum iurisdictionis Romani Pontificis ita professus est, ut idcirco promitteret se « tamquam obedientiae filium ordinationibus, « praeceptis, censuris ac iussionibus Papae Iulii III « moderni, et successorum suorum Rom. Pontifi- « cum canonice intrantium, et Sedi Apostolicae fide- « liter et semper obtemperaturum. » Porro hanc

fidei professionem in tuis archivis asservari existimamus, cum integre inscripta fuerit in Apostolicis litteris eiusdem Iulii praedecessoris Nostri datis ad eumdem Sulakam, x Kalendas Martii an. 1553, quibus eiusdem electio in patriarcham confirmata fuit.

Quid vero dicendum de excusatione quam petis ex timore malorum, quae tibi tuisque impendere dicis ab civili potestate, si memoratae constitutioni Nostrae obedias, exemplum malorum afferens quae Ven. Fratri Armenio patriarchae, et catholicis eiusdem ritus Ecclesiis contigerunt? En quo deveniunt vel fortissimi Ecclesiae Praesules, cum recedere incipiunt ab hac Sede Bmi Petri Apostolorum Principis, in cuius soliditate firmatur omnium fortitudo sacerdotum! Obediendum esse saeculi Principibus, iisque tributa solvenda docuerunt sancti Dei Apostoli: et in ecclesia catholica, quae hanc doctrinam constantissime tenuit, ac tenet, improbata ac damnata semper fuit rebellio contra legitimas potestates. Non tamen licebit a debita divinis et ecclesiasticis legibus obedientia et fide deficere, si quid eis contrarium civilis potestas quandoque iuberet. Qui enim dixit *reddenda esse Caesari quae sunt Caesaris*; idem praecepit *reddenda esse Deo, quae Dei sunt*: et cum de Christi Domini nostri praeceptis servandis ageretur, Apostoli intrepide pronunciarunt coram publicis potestatibus: « *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* ». Si tot sanctissimorum virorum et veterum martyrum exempla, qui asperrima quaeque passi sunt a potestatibus huius saeculi, ne a divinae vel ecclesiasticae legis

custodia recederent, mente recolere et recogitare non vacat, circumspice catholicas Ecclesias, tam quae in Oriente sunt praesertim Armeniam, quam quae in Occidente potissimum Germanicam et Helveticam; ibi episcopi, clerus, et primores etiam ex laicis, debitam plenamque fidem et subiectionem legitimis potestatibus servantes, earum minas non reformidant, cum reddenda sunt Deo quae Dei sunt; neque poenarum metu veritatem aut officium suum produnt, vel ab Apostolica Sede recedunt sed rapinam bonorum, carceres, exilium libentissime ferunt, scientes optimam se habere repositam gratiam et mercedem in coelis.

Quo autem praetensa tua iura in Malabariam tuearis, asseris eiusdem regionis fideles eo ipso tibi subiectos esse debere, quod chaldaicum ritum teneant, et quod chaldaeis patriarchis quondam obnoxii fuerint. Nostrum non est historicas quaestiones ingredi, de quibus diversi diversa sentiunt. Etsi autem ita se res haberent, uti ipse dicis, non tamen propositum assequereris. Ex quo enim alicui episcopo, cujusvis dignitatis et ordinis ille sit, aliqua regio subdita olim fuerit, non sequitur hanc perpetuo eiusdem sedis episcopo subditam esse debere, ac non posse, legitima auctoritate et causa interveniente, in alterius episcopi potestatem venire: qua de re plura exempla ab Ecclesiae annalibus, et veterum conciliorum actis suppeditantur. Oecumenicam vero et universalem potestatem in omnes, ubivis terrarum sint, eiusdem ritus fideles, consueverunt sibi arrogare Nestoriani aliique schismatici

patriarchae, qui disruptis vinculis queis huic Apostolicae Sedi coniuncti erant, superiorem non agnoscunt. Catholicis autem Praesulibus id numquam concessum aut permissum fuit a legitimis canonibus, neque a pontificis constitutionibus.

Praeterea contendisti iurisdictionem in Malabaricas oras tibi fuisse promissam, affirmans id tibi Ven. Fratrem Zachariam Episcopum Maroneae nuper e vivis ereptum spopondisse. Atqui is cum multa retulerit quae istic ab eo facta fuerunt, nihil tamen de huiusmodi sponsione ad nostram Congregationem scripsit; neque nos illius peragendae ullam umquam ei dedimus potestatem. Nec porro apparet valida ulla ratio quae illum potuisset ad eam promissionem faciendam adducere; non enim admittere possumus eum id fecisse, ut adhaesionem tuam Vaticani Concilii constitutionibus haberet, cum concilii auctoritas hac adhaesione non indigeret, et haec agendi ratio non solum in tuae, sed in eius etiam conscientiae ac honoris labem cessisset.

Concessiones praeterea Apostolicae Sedis probaturus, litteras protulisti fel. rec. Julii III praedecessoris Nostri datas IV Kalendas Maii an. 1553, quibus memorato Sulakae Chaldaici ritus patriarchae sacrum pallium et nonnullae facultates concedebantur. Quarum litterarum arabicam versionem (eamque non satis fidelem) in ecclesiis evulgari iussisti, ut nostris mandatis et constitutionibus decreta opponeres et litteras praedecessorum Nostrorum; quos dicis et potestatem confirmasse patriarcharum chal-

daeorum in Indicas regiones, et episcopos eligendi arbitrium iisdem concessisse. Iulius III, ut tu ipse cognoscis, in memoratis litteris patriarchae Sulakae facultatem concessit confirmandi episcoporum et archiepiscoporum ipsi iure suo patriarchali subditorum electiones, rite et recte factas secundum Romanae Ecclesiae ritum et morem, ac eis sic electis episcopis et archiepiscopis, postquam eorum electiones confirmatae fuissent, munus consecrationis impendendi iuxta ritum et morem praedictos, recepto prius ab eis Romani Pontificis et dictae Ecclesiae Romanae nomine, fidelitatis debitae solito iuramento. Verum animadvertere debes, ut patet cuique eas litteras legenti, nihil ipsum sanxisse aut consituisse quoad loca ad quae patriarchicum ius illud Sulakae extendi deberet: concessaeque potestatis usum expresse interdixisse his in locis, in quibus praesules a Romano Pontifice instituuntur. Quapropter nil tibi suffragantur litterae illae ad protendendam iurisdictionem tuam extra fines quibus in praesentia continetur; et ausibus tuis aperte contradicunt quoad Malabariam, ubi praesules a Romano Pontifice instituuntur, ex quo Christiani illi, eiurata in synodo Diamperitana anno 1559 haeresi Nestoriana, catholicae Ecclesiae aggregati sunt. In qua synodo ipsi formaliter spoponderunt et iurarunt, nullum umquam episcopum, archiepiscopum, praelatum, pastorem vel gubernatorem se admissuros, praeter illum qui a sancta Sede Apostolica per Papam et Pontificem Romanum foret immediate constitutus. Quod Clementis VIII ac Pauli V praedecessorum Nostrorum

auctoritate sancitum et confirmatum, ad hanc usque diem servatum est.

Habes Ven. Frater in hac monitoria epistola argumentum singularis Nostrae erga te longanimitatis et charitatis; qua urgente curavimus sophismatum, quibus deciperis inanitatem ostendere, teque ad salubria consilia revocare; sperantes fore, ut, opitulante Dei gratia, vocem Nostram tandem aliquando audiens resipiscas, teque et ecclesias ritus chaldaici tibi concreditas ab imminenti schismatis periculo eripias. Quapropter auctoritate Nostra apostolica, in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii, tibi, Ven. Frater, districte praecipimus, ut Episcopum Eliam Mellus et alios quoscumque tui ritus presbyteros, monachos vel forte etiam episcopos a Malabria quamprimum revoces; eamque regionem, in quam nullam tibi inesse potestatem iam declaravimus et rursus declaramus, in pace et catholica tranquillitate legitimo suo Praesuli gubernandam relinquas.

Praecipimus insuper, ut presbyteros Eliam, Matthaeum aliosque quos contra Nostram constitutionem nuper episcopali charactere auxisti revoces a dioecesibus quibus eos temere, sacrilege et inaniter praefecisti: earumque tui patriarchatus dioecesium, quae legitimo carent pastore, regimen et administrationem committas aliis dignis et idoneis tui ritus presbyteris, donec de legitimis et rite electis episcopis iisdem dioecesibus provideatur. Quod Nostrum mandatum, si adimplere neglexeris, Nos ipsi pro debito nostri Apostolatus officio, illis dioecesibus consulemus.

Praeterea te admonemus, ut omnino abstineas a censurarum ecclesiasticarum abusu, quas temere et sine iusta causa te frequenter comminatum esse et irrogasse accepimus. Si enim eas ob causas non iustas et graves adhibeas, facere non poterimus quin fideles indignis poenis subiectos, et ad Nos iam confugientes auctoritate Nostra, uti alias in eam Nos necessitatem adduxisti, absolvamus. Volumus denique ut omnia quae a supradicta Nostra Congregatione tibi mandata fuerunt, litteris datis die 27 Augusti elapsi anni, omnino exequaris.

Confidimus te religiose impleturum quae tibi in Domino praecipimus; et in hunc finem plenitudinem divinarum gratiarum tibi apprecamur. Quod si peremptoriae huic Nostrae admoninitioni, quod absit, parere detrectes, et in contumacia persistas, noveris Nos praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, qui veteres etiam patriarchas licet potentum patrocinio quandoque suffultos, ecclesiasticis poenis et censuris cum opus fuit coercere non praetermiserunt, et non solum excommunicationis sed etiam depositionis poena mulctarunt, hanc eamdem agendi rationem, dolentissime quidem et necessario tecum esse servaturos; ne ministerium Nostrum prodidisse, ac fidei, et saluti tot animarum, quae in gravissimum discrimen adductae sunt, non prospexisse ab aeterno Principe arguamur.

Caeterum rogamus te, Ven. Frater, et in Domino Nostro Iesu Christo obsecramus, ut coram Domino tuam pravam agendi rationem, tuae dignitatis gradum, aetatem tuam, et gravissimum tuae

aeternae salutis periculum serio recogites: atque implorato humilibus precibus divino lumine, ea tandem consilia capias quae tuum erga Apostolicam Sedem obsequium, verbis saepe declaratum, facto ipso probent: quaeque eam ruinam avertant, in quam dum iniquis consiliariis aurem praebes, te ipsum, commissumque tibi auctoritate Nostra populum, praecipitem agere deploramus. Quod ut divina misericordia benigne largiatur, Apostolicam benedictionem tibi Ven. Frater, nec non episcopis clero, monachis et fidelibus, in communione et obedientia Apostolicae Sedis manentibus amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XV Septembris MDCCCLXXV Ponficatus Nostri Anno Trigesimo.

PIVS PP. IX.

DECRETUM

QVO CONSACRATIONIS FORMVLA
A CHRISTI FIDELIBVS SACRO JESV CORDI
SE DEVOVERE OPTANTIBVS ADHIBENDA
TRADITVR

Quamplures ex toto orbe ad Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam IX Episcoporum postulationes ac pene innumerae Christifidelium petitiones in dies adveniunt, quibus enixe rogatur ut Ipse ad favendam augendamque pietatem erga Sacratissimum Cor Jesu Christi Salvatoris, universum mundum eidem Sacratissimo Cordi consecrari dignetur. Jamvero Sanctitas Sua rei gravitatem coram Deo animo reputans, ut aliquo modo pientissimis hujusmodi votis satisfaciat adnexam Orationem approbans, illam quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, recitandam proponit iis omnibus qui Sacro Cordi Jesu se ipsos devovere voluerint. Ita sane omnes Christifideles hac unanimi consecrationis formula divino Jesu Cordi sese devoventes, sacrosanctae Ecclesiae unitatem clarius asserent;

ac in eodem Corde tutissimum invenient, et ab ingruentibus animae periculis effugium, et in tribulationibus, quibus hodie divexatur Ecclesia Christi, patientiam; ac in omnibus angustiis firmissimam spem ac solatium. Voluit itaque Sanctitas Sua ut per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum mens sua omnibus Locorum Ordinariis pateat, ac ad illos praefata precationis formula transmittatur; ut si ita in Domino judicaverint, et ovium sibi commissarum bono expedire censuerint eam edendam curent, ac Fideles ipsos hortentur ut illam vel conjunctim vel privatim recitent die 16 Iunii vertentis anni, qua secundum Centenarium recurrit a revelatione facta ab ipso Redemptore Beatae Margaritae Mariae Alacoque devotionem erga Cor Suum propagandi. Omnibus vero Fidelibus qui enunciata die id effecerint Sanctitas Sua plenariam Indulgentiam Animabus quoque Purgatorii applicabilem, in forma Ecclesiae consueta concedit; dummodo vere poenitentes, confessi et sacra Synaxi refecti Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint iuxta mentem ipsius Sanctitatis Suae. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Aprilis 1875.

ATTO DI CONSECRAZIONE

AL SACRO CUORE DI GESÙ
APPROVATO CON DECRETO DELLA S. C. DEI RITI
dei 22 *Aprile* 1875

Oh Gesù mio Redentore, e mio Dio! non ostante il grande amore che portate agli uomini per redimere i quali avete sparso tutto il Vostro Sangue prezioso, siete pur da essi così poco riamato, anzi tanto offeso ed oltraggiato, segnatamente colle bestemmie e con le profanazioni dei giorni festivi! Deh! potessi io dare al Vostro Cuore Divino una qualche soddisfazione, potessi riparare tanta ingratitudine e sconoscenza, che riportate dalla maggior parte degli uomini stessi! Vorrei poter dimostrarvi quanto io desidero riamare ed onorare questo adorabile e amorosissimo Cuore al cospetto di tutti gli uomini, ed accrescere vieppiù la vostra gloria! Vorrei poterne ottenere la conversione dei peccatori, e scuotere l'indifferenza di tanti altri, i quali sebbene abbiano la sorte di appartenere alla Vostra Chiesa non hanno però a cuore gli interessi della Vostra gloria e della stessa Chiesa che è Vostra Sposa! Vorrei altresì poterne ottenere che quei Cattolici ancora i quali non lasciano di dimostrarsi tali con molte opere esterne di carità, troppo tenaci delle loro opinioni ricusano di sottomettersi alle decisioni della Santa Sede e nutrono senti-

menti che dissentono dal suo Magistero, si ravveggano persuadendosi che chi non ascolta in tutto la Chiesa non ascolta Iddio che è con Lei.

Ad ottenere pertanto questi santissimi fini ed inoltre impetrare il Trionfo e la stabile pace di questa Immacolata Vostra Sposa, il benessere e la prosperità del Vostro Vicario quì in terra, e le sante di Lui intenzioni vedere adempiute, ed insieme perchè tutto il Clero vieppiù si santifichi e a Voi torni accettevole, e per tanti altri fini ancora che Voi, o mio Gesù, intendete conformi al Vostro Divin Volere, e che in qualunque modo giovino alla conversione dei peccatori ed alla Santificazione dei Giusti, affinchè tutti ne otteniamo un giorno l'eterna salvezza delle anime nostre, e finalmente perchè so, o mio Gesù, di fare cosa grata al Vostro Cuore Dolcissimo; prostrato ai Vostri Piedi alla presenza di Maria SSm̃a e di tutta la Corte celeste, solennemente riconosco per ogni titolo di giustizia e di gratitudine di appartenere totalmente ed unicamente a Voi, Redentore mio Gesù Cristo, fonte unico di ogni mio bene nello Spirito e nel corpo: ed unendomi alla intenzione del Sommo Pontefice consacro me stesso e tutte le cose mie a questo Sacratissimo Cuore, cui solo intendo amare e servire con tutta l'anima mia, con tutto il mio cuore, e con tutte le mie forze facendo mia la Vostra Volontà, e unendo ai Vostri tutti i miei desiderî.

A pubblico segno infine di questa mia consecrazione solennemente dichiaro a Voi Stesso, o mio

Dio, di volere in avvenire ad onore del medesimo Sacro Cuore osservare secondo le regole della Santa Chiesa le feste di precetto, e procurarne l'osservanza nelle persone sulle quali io abbia influenza ed autorità.

Riunendo adunque tutti questi santi desiderî e propositi al Vostro bel Cuore, quali la Vostra grazia mi ispira, confido di poter dare ad esso un compenso delle tante ingiurie, che riceve dagli ingrati figli degli uomini e trovare per l'anima mia e per l'anime di tutti i miei prossimi la mia e la comune felicitá in questa vita e nell'altra. E così sia.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI CYRILLO BEHNAM

ARCHIEP. MAVXILIENSI SYRORVM

PIVS PP. IX.

VENERABILE FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTONEM.

Litteras a te Nobis datas die prima Augusti huius anni grato animo excepimus; quoniam ut in tantis praesentium temporum angustiis Nostro munere congrue fungamur, necesse est Nos certiores fieri de omnibus, qnae in dissitis potissimum regionibus eveniunt, et quae Nostra interest accurate cognoscere. Profecto multum Nobis dolorem attulerunt, quae adversus Catholicam Syrorum Ecclesiam moliti sunt et moliuntur catholicae unitatis inimici; qui eam apud civilem potestatem in invidiam adducentes, eadem ferme ratione vexare contendunt, qua contra Catholicos Armenos actum est. Et gravissimum Nobis fuit, quod Ven. Fr. Ignatii Georgii Scelhot a Syris Episcopis legitime electi, et per Nostram confirmationem et institutionem ad patriarchalem dignitatem evecti auctoritatem et officium

spernere, ejusque potestatis exercitium impedire praesumant, denegato primum, ac deinde revocato, vix dum concessum fuerat, imperiali diplomate perinde ac si in Episcoporum institutione, civilis potestatis arbitrio Ecclesia obnoxia esset.

Quo autem graviora haec et acerbiora sunt, eo maiori Nobis consolationi fuit a te novisse, fideles tuae curae commissos fortiter et patienter iniuriam et damnum pertulisse et perferre; eosque aspera quaeque pati malle, quam a Nobis, hoc est a Catholica unitate, deficere. Quo facto se non degeneres probarunt a virtute maiorum suorum, quos ferme ante saeculum ad Catholicam veritatem ab haeresi revertentes tanto robore et constantia Deus firmavit, ut persecutionem ob haereticis, civili tunc etiam adstipulante potestate, alacri et maxime constanti animo sustinuerint. Ab horum exemplis sectandis illos numquam recessuros fore in Domino confidimus, licet non solum persecutionis molestias et aerumnas, verum etiam et gravissimum scandalum ab iis patiantur, a quibus virtutum exempla et magisterium expectare debuissent. Dum enim apud Chaldaeos proficere conantur Catholici nominis adversarii, is qui potiorem inter eos, Auctoritatis Nostrae beneficio, sedem occupat, eo usque se abripi passus est a malesuadis hominibus, ut ipsa contradicente et prohibente Apostolica Sede episcopos constituere, et patriarchales fines protendere, non sine bonorum omnium dolore et indignatione praesumpserit. Qui quidem si patientia Nostra abusus novis Apostolicae Sedis admonitionibus ocius parere

non statuet, eo Nos vel invitos adiget ut pro debito officii Nostri ministerio, condignis poenis et censuris eum plectamus.

Quapropter gratissimum et maxime acceptum habebimus, si etiam tu, Venerabilis Frater, tanto scandalo avertendo eiusque damnis removendis adlaborare sive eiusdem scandali auctorem si quo ratione poteris ab errore viae suae pravae revocando, sive populum tuum opportunis instructionibus et admonitionibus in fide et in officio continendo, ne praevaricatorum exempla quae prae oculis habet imitetur. Non enim ut isti perperam contendunt, agitur de orientalium rituum differentiis, privilegiis, vel consuetudinibus servandis, sed de catholica unitate et veritate integre et religiose custodienda, quae earumdem consuetudinum praetextu in maximum discrimen vocantur. Haec te, opitulante Deo, viriliter acturum speramus; et quoniam eos facile in suas partes abducit inimicus homo quos contentionibus et aemulationibus dissociatos reperit, idcirco necessarium, omnino est, te, Venerabilis Frater, verbo et exemplo fideles omnes hortari ut, animis ad Christi caritatem compositis, solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, supportantes invicem et donantes sibimetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Dominus donavit Nobis. In auspicium demum omnium gratiarum, et in pignus praecipuae dilectionis Nostrae Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, et Fidelibus quibus praesides in communione et obedientia

Apostolicae huius Sedis perseverantibus peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 22 Septembris 1875. Pontificatus Nostri Anno XXX.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

FRIDERICO ARCHIEPISCOPO BAMBERGENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Si Episcopatus martyrio comparari non immerito consuevit, Venerabilis Frater, hodie profecto non ex ipsa tantum functione muneris, sed ex insectatione ubique commota in Ecclesia adeo proxime ad martyrium accedit, ut non minorem illo vim animi postulet. Iucundissimum habuimus idcirco, considerasse te sollicitudines et curas, quibus obnoxius fiebas, nec non difficultates, fraudes, pericula, quibus fores circumveniendus; et hisce omnibus parato constantique te occurrisse animo. Non leviora tamen discrimina invenies, sive in illecebris gratiae magnatum, sive in consiliis prudentiae carnis, quae suadeant, osores Ecclesiae, potius quam oppugnandos, alliciendos esse per tolerantiam et concessiones, ut conciliatio tandem obtineri valeat. Verum hisce te insidiis irretitum iri non veremur. Nam

non ignoras, quam incerta, fluxa labilis sit hominum gratia; eiusque studium ita saepe pugnare cum Episcopalis officii debito, ut Apostolus diceret si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Quoad ea vero, quae sacris opponuntur Ecclesiae iuribus, cum experientia doceat, hostium conatus non solum irritos fieri, sed in incrementum cedere religionis; apprime nosti, ipsorum artes eo maxime spectare, ut ab Ecclesiae principibus indebitos assensus, et concessiones blande extorqueant, quibus sensim subvertatur disciplina, dissolvatur unitas, ac tandem ipsa Ecclesiae constitutio subruatur. Verum tu illud Christi prae oculis habens « *qui non est mecum contra me est, et qui non congregat mecum spargit* » praevertisti iam huiusmodi insidiarum periculum, dum devotionem tuam, observantiamque absolutissimam erga hanc Petri Cathedram per tuas litteras es professus; nam huic magistrae veritatis adhaerens a recto certe tramite non abduceris. Merito itaque faustum expectamus zeli tui laborumque tuorum successum; qui, ut praeclarior fiat, Benedictionem Apostolicam divini favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem tibi, Venerabilis Frater, totique Clero et populo tuo peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Septembris Anno 1875. Pontificatus Nostri Anno XXX.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBVS THEOLOGICAE SCHOLAE PICTAVIENSES
IN FACVLTATEM THEOLOGICAM ERIGUNTVR LAVREAM
CONCEDENDI FACTA POTESTATE

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Pictaviensem Ecclesiam iam inde a primis temporibus, quibus Christiana religio Galliam pervasit omni laudum genere floruisse constat. Ex hac mature prodiit illud ingenii et Sapientiae lumen Hilarius, qui terrarum orbi et cunctae effulsit Ecclesiae ut dicendi vi ac copia singulari eodem tempore Constantii Augusti minas furoremque contunderet, Arianorum fraudes detegeret, erroresque refutaret. Nullus per ea tempora neque tam longinquus, neque tam reconditus locus erat, quo Romanum nomen pervenerit qui summis haud laudibus Sanctitatis vitae, puritatem doctrinae, splendorem nitoremque eloquentiae tanti fidei Confessoris efferret; adeo ut magnus ille vir ad propriae iustitiae fructus eos adiecerit, quos ceteri ab ipsius disciplina et scriptis uberes sane diuturnosque cepere.

Neque minori emolumento scientiis et humanioribus Literis in Civitate Pictaviensi fuit Venantius ille Fortunatus, quem quasi dedisse Galliae videtur Italia, ut suavitate poeseos Ethnicorum reliquias Christianae religionis mysteriis sensim imbueret, caneretque illustrium virorum laudes et ingentia opera quae in Galliarum Ecclesia tunc passim excitabantur. Quare minime mirandum si istorum Patrum vestigiis inhaerens iuventus Pictaviensis in illud potissimum animum intenderet ut in sacris profanisque studiis ceteris antecelleret. Itaque simul ac a barbarorum incursionibus cessatum, depulsisque ignorantiae tenebris Lycea magna, resurgentium scientiarum ac Literarum domicilia, auspice Ecclesia, institui coepta sunt, Pictaviensi in Civitate illud extitit, quod ad preces Caroli VII Galliarum regis Eugenius IV Praedecessor Noster erexit; et ab anno Reparatae Salutis MCDXLI Scientiarum ac literarum cultui et honori usque ad nostra fere tempora, stetit. Tantae veluti gloriae haeres Venerabilis Frater Ludovicus Eduardus Pie Episcopus Pictaviensis quo praesertim Sacra Theologia scientiarum omnium parens ac fastigium cunctarumque veritatum, quae ad exploratam felicitatem atque aeternam hominis vitam quin et ad eius erga Deum, erga se ipsum et erga humanam communionem officio pertinent, custos ac vindex Pictavii, proprio veluti in domicilio conquiesceret, dantque fructus eius civitatis celebritati consentaneos maximi exempli studio atque industria, iam prope vicesimum annum adlaborat, ut Theologicae Scholae Pictavienses doctorum fama et

disciplinarum amplitudine ac puritate praefulgeant. Quo quidem in exequendo consilio egregios nactus est operis socios, et in omni doctrinae genere maxime spectatos, Nobis vero diuturna experientia probatissimos, qui proximis hisce annis Alma in Urbe Nostra in tradendis Theologicis, Canonicis, Philosophicisque disciplinis summa sunt cum laude successuque versati. Nuper vero idem Venerabilis Frater Nobis exposuit sibi ad augendum Theologicarum earumdem scholarum splendorem esse in animo alias Cathedras, aliasque disciplinas adiicere, sociorum pariter, qui suprascripti sunt, curae committendas ac propositis ad imitandum Theologicis Almae huius Urbis facultatibus, quae sub auspicio et patrocinio Romani Pontificis inter ceteros semper principem locum tenuere, id unum conari, ut Pictaviensium Scholarum Theologicarum ratio illarum imaginem adumbret ac referat. Item a Nobis enixis precibus petiit ut Theologicis istiusmodi scholis satis iam tot annorum periclitatione probatis atque ad tam salubrem frugiferamque normam exactis, quemadmodum alias deferendorum Bacchalaureatus et Licentiae graduum candidatis, qui, facto doctrinae suae sollemni periculo, puritate morum, alacritate studiorum, scientiae laude, illo digni honore habiti fuerint Sancta haec Sedes ius impertiit, ita Lauream quoque doctoralem concedere ex Apostolica venia Nostra liceat. Nos igitur qui probe scimus nihil in istis scholis tradi quod omnino non sit saniori doctrinae consonum, ac re experti novimus quot et quanti momenti fructus non modo in Civitatem ipsam

Pictaviensem ac finitimas Dioeceses, quae Metropolitae Burdigalensis iurisdictioni continentur, sed etiam in regiones longe dissitas inde redundarint, quique pro certo habemus memorati Venerabilis Fratris et eius sociorum diligentia factum iri, ut eaedem scholae acrius in dies impensiusque se dent ad verae Religionis scientiam propagandam ac strenue asserendam, votis huiusmodi obsecundare, quantum in Domino possumus, voluimus, atque ita tum Sancto Hilario doctori ceterisque Pictaviensis Ecclesiae coelestibus Patronis debitum habere honorem tum Eumdem Antistitem Eduardum propria ac praecipua Paternae Benevolentiae nostrae significatione complecti. Quae cum ita sint, singulos atque universos quibus Nostrae hae Literae favent ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Theologicas scholas Pictavienses de quibus habita ante mentio est, in propriam ac vere dictam facultatem Theologicam, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium erigimus, eisque concedimus, ut praeter potestatem conferendi minores academicos gradus, iure polleant conferendi, iuxta methodum in hac Alma Urbe Nostra servatam, doctoralem Lauream illis, qui rite Sacrae Theologiae cursum ibi absolverint, et facto doctrinae periculo coram quatuor saltem examinatoribus praeter Praesidem studiorum Praefectum eiusve substitutum, Professoribus Theologicis pendenti

suffragiorum pluralitate digni huiusmodi honore fuerint iudicati. At enim praecipimus, ut qui doctores ita fuerint renunciati Laurea decorentur, postquam Fidei Catholicae professionem emiserint, iuxta formulam a Pio IV Praedecessore Nostro rec. mem. praescriptam, atque huius Fidei professionem conceptis verbis mentio fiat in diplomatibus sive literis, quae ad rei fidem faciendas edentur. Eadem porro auctoritate per praesentes impertimus, ut, qui Laurea, uti descripsimus, insigniti fuerint eisdem honoribus, privilegiis, praerogativis uti, frui optimo iure possint, ac illi fruuntur, utuntur, qui in hac alma Urbe Nostra eo ipso honore decorantur. Tandem decernimus praesentes Nostras Literas firmas fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere illisque ad quos pertinent pertinuerintque hoc futurisque temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices, Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ceterisque speciali licet atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die I Octobris MDCCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno XXX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

NOBILI VIRO FELICI LIBERO BARONI DE LOE PRAESIDI

TOTIQVE MOGVNTINO CONVENTVI CATHOLICO

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non occulte iam et sparsim, ut alias, sed palam et coniunctis viribus instauratum videmus in terris bellum quondam pugnatum in caelis. Certe idem, ut olim, praefertur utrinque vexillum. In eorum namque signo qui, terrenis posthabitis, pro fide, pro Ecclesia sacrisque eius iuribus strenue dimicant, fulgere conspicitur vetus illud *quis sicut Deus*; in altero vero osorum sanctissimae religionis nostrae scriptum legitur a vesana superbia, *super astra caeli exaltabo solium meum: similis ero Altissimo.* At eadem sors manet eandem pugnam: et sicuti superbia rebellium detracta tunc fuit ad inferos, sic prosternentur qui se ipsos suffecturi Deo regnum eius in terris delere nituntur. Gratulamur itaque vobis, qui firma innixi petra a Christo posita, cum certo sciatis, Deum stare pro vobis, ac portas in-

feri nunquam praevalituras adversus causam, quam tuemini, immoti fortesque perstatis in tam aspera lucta. Quam sane fidem a successu quoque non obscure sustentari gaudemus: siquidem et aperta utilitas conventuum, consiliorum, curarum vestrarum ad irrumpentia mala cohibenda, et religiosa alacritas in fidelibus excitata ac confirmata, et communia proborum omnium suffragia totidem vobis exhibent pignora divini favoris. Novas igitur sumite vires et altiores animos ad certamen, vobisque dicta putate morientis Mathathiae verba ad Israelem impiis Antiochi legibus ad defectionem ab avita religione compulsum. « Nunc confortata est su« perbia et castigatio, et tempus aversionis et ira « indignationis. Nunc ergo, o filii, aemulatores « estote legis, et date animas vestras pro testa« mento patrum vestrorum, et mementote operum « patrum, quae fecerunt in generationibus suis; « et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum ». Id reapse fecerunt ipse et filii eius; idque sunt assecuti. Id igitur et vobis ominamur ex animo, una cum copiosis interim et efficacibus gratiae caelestis auxiliis, quorum auspicem esse cupimus apostolicam Benedictionem, quam paternae Nostrae benevolentiae testem vobis omnibus et singulis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum 11 Octobris anno 1875, Pontificatus Nostri anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS DVCI SCIPIONI SALVIATI,
EQVITI TORQVATO JOANNI ACQVADERNI
ATQVE ALIIS A CONSOCIATIONE CATHOLICA ITALA.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gaudemus, Dilecti Filii, steriles non fuisse conventus vestros; nam praeter utilitates a Veneto partas, videmus etiam a Florentino confirmatum nobile insigne vestrum *fide* et *operibus* in eo programmate, quo socios vestros excitare decrevistis ad leniendas Ecclesiae aerumnas, eiusque iura legali ratione defendenda. Profecto quidquid in eo proposuistis adeo convenit desiderio Nostro, ut haud raro in publicis, quos habuimus, sermonibus eadem vota significaremus. Gratissimum itaque Nobis erit si quotquot nomen dederunt catholicis Italiae Consociationibus, petitiones, industriam, operam, eo, quo par est, prudenti studio, conferant unanimi nisu ad illa assequenda, ut, adiuvante Deo, possint averti, aut mitigari saltem, tot mala, quae perniciem minitantur religioni et moribus. Faustum

idcirco adprecamur exitum consilio vestro; ac interim superni favoris auspicem, paternaeque benevolentiae Nostrae pignus vobis, Dilecti Filii, Sodalibus vestris et iis omnibus, qui proposito vestro suffragaturi erunt Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus. Datum Romae apud S. Petrum die 8 Novembris Anno 1875. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VNIVERSA CIVILIS PROVINCIA CLVNIA,
VULGO CIVDAD REAL QVATVOR ORDINIBVS
MILITARIBVS ADSIGNATVR.

PIVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad Apostolicam Beati Petri Cathedram divinis Consiliis sic disponentibus evecti statim Nos Apostolicas Nostras curas ad spirituale bonum Illustris Nationis Hispanicae promovendum convertimus, et omnem sollicitudinem exaruimus, ut in eo Regno rite ac stabili modo religiosa negotia componerentur, quae magnis detrimentis et perturbationibus ob civiles motus et asperitatem temporum fuerant obnoxia. Eodem studio et sollicitudine permota Dilectissima in Christo Filia Nostra Maria Elisabetha II, quae Hispaniarum Regnum tunc moderabatur, suas curas Nostris libentissime consociavit, ut Nostra vota ac desideria impleri possent, ac Deo juvante feliciter effectum est, ut ad Ecclesiae res in Hispania instaurandas solemnis conventio inter Nos et Reginam Catholicam iniri potuerint,

quae die decima sexta Martii anni Domini Millesimi octingentesimi quinquagesimi primi optatum ad exitum adducta, et Nonis Septembris eodem anno a Nobis approbata ac ratificata robur Apostolicae firmitatis accepit. Res inter multiplices, quas ea conventio complectabatur de nova etiam circumscriptione Dioecesium actum fuit, et in eiusdem conventionis articulo Nono constitutum est, ut ad occurrendum gravibus incommodis, quae in Ecclesiastici regiminis detrimentum oriebantur ex dispersione territorii ad quatuor militias - Sancti Iacobi - Alcantarae - Calatravae et Montesiae pertinentis, et ad memoriam tuendam Instituti tantopere de Ecclesia et Republica meriti, ac ad praerogativas Catholicorum Regum, magnum ipsorum militarium Ordinum magisterium ex Apostolica concessione obtinentium, servandas occasione praedictae circumscriptionis Dioecesium Hispanici Regni definitus quidam assignaretur locorum numerus intra certum radium seu circulum consistentium - que formen coto redondo - ut ibi Magnus Magister praedictarum Militiarum Ecclesiasticam iurisdictionem exercere pergeret ad omnimodam eorum normam, quae ex Apostolica eiusdem iurisdictionis concessione aliisque Pontificiis constitutionibus praescribuntur. Eodemque articulo declaratum est, ut novum hoc territorium Militarium Ordinum Prioratus nuncuparetur, et Prior Charactere Episcopali titulo Ecclesia in partibus infidelium insignitus foret.

At priusquam praedicta Dioecesium circumscriptio perageretur, Hispaniarum gubernium mense

Martio anno millesimo octingentesimo septuagesimo tertio pro suo lubitu memoratos quatuor ordines suppressit, et cum ipsis peculiare illud tribunal quod in eorum territoriis administrationem Ecclesiasticam exercebat, et cum hoc facto territoria illa disiuncta et diversis in locis posita omni prorsus Ecclesiastico regimine destituta essent, Apostolici Nostri muneris esse putavimus tot fidelium spirituali administrationi sine mora consulere, ac propterea per litteras Nostras Apostolicas Pridie Idus Iulii anno millesimo octingentesimo septuagesimo tertio datas quarum initio - Quo gravius - Nos peculiarem ecclesiasticam iurisdictionem in territoriis ad quatuor militares Ordines praedictos pertinentibus suppressam et abolitam declarantes, territoria illa iuxta pacta conventa proximis dioecesibus ad formam praedictis in Litteris expressam aggregavimus, et salva constitutione novi territorii intra certum circulum comprehensi iisdem Ordinibus addicendi, respectivorum Episcoporum iurisdictioni subiecimus.

Irritas autem ac nulla existente superius dicta quatuor militarium Ordinum suppressione, Serenissimus Hispaniarum Rex Alphonsus XII summopere cupiens ad exitum deduci id, quod articulo IX memoratae Conventionis continetur, quodque ad memoriam praedictorum ordinum egregie de Ecclesia et Republica meritorum conservandam, et hispanicae virtutis monumentum custodiendum pertinet, Nobis suas preces obtulit enixe postulans, ut collatis cum ipso consiliis novum illud territorium vulgo - cotc

redondo - praedictis militaribus Ordinibus attribuendum statueremus, ac Nobis proposuit, ut in eorumdem quatuor Ordinum territorium erigatur universa ea regio qua provincia civilis Clunia vulgo - de Ciudad real - constituitur.

Nos itaque rationem habentes postulationi Serenissimi Regis, atque iis gravibus causis adducti, quae in praedicto articulo IX praefatae conventionis explicantur, initis antea cum Rege ipso Catholico consiliis Motu proprio, certa scientia, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine hisce litteris peculiare ac in unius regionis definito spatio compraehensum territorium quatuor militaribus ordinibus - Sancti Iacobi - Alcantarae - Calatravae et Montesiae universam videlicet civilem Provinciam Cluniam vulgo - Ciudad Real - statuimus, adducimus, attribuimus, et assignamus.

I.

Specialiter igitur et expresse derogantes iis, quae articulo V. supramemoratae conventionis de nova Cathedrali Ecclesia Cluniae erigenda decernuntur integrum territorium Provinciae Civilis Cluniae cum omnibus civitatibus terris, castris, pagis, nec non parochialibus Ecclesiis cuiuscumque conditionis ac ordinis, cum cenobiis utriusque sexus et hospitalibus omnibus inibi sitis in quibus et illud de Almaden expresse recensemus, pariterque Clerum omnem, tam secularem, quam regularem personas et populum civitates ipsas, et loca quae-

vis incolentes ab omni, et quacumque Ecclesiastica et spirituali finitimorum Antistitum superioritate ac iurisdictione, supplentes de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quatenus opus sit, enunciatorum Antistitum cuilibet super huiusmodi negotio requisito consensui penitus, et omnino auctoritate Nostra Apostolica ad effectum, de quo infra, perpetuo exsolvimus, seiungimus, ac separamus, et in Prioratum supradictorum militarium ordinum, quo nomine deinceps nuncupandum erit, erigimus, atque instituimus, decernentes ut integrum praedictum territorium ita in Prioratum erectum perpetuis futuris temporibus sit ad omnes iuris effectus vere et proprie Nullius Dioecesis, Nobisque et Successoribus Nostris Sedique Apostolicae immediate subiectum.

II.

Quod vero ad Ecclesiasticam et Spiritualem iurisdictionem ac regimen eiusdem Territorii seu Prioratus spectat, per presentes statuimus, edicimus ac delaramus in universo eo Territorio iuxta praemissa separato, iurisdictionem omnem in utroque Foro Ecclesiasticam et spiritualem supra loca, Ecclesias, Clerum et personas cuiusque conditionis, ac Hospitalia aliaque omnia pia Instituta illum Ecclesiasticum virum habiturum, et exercitaturum esse qui a Serenissimo Alphonso XII Rege Hispaniarum Catholico, magno quatuor praedictorum militarium Ordinum Magistro, ac a legitimis eius suc-

cessoribus ad Prioris munus gerendum fuerit nominatus.

III.

Quoniam vero ad plene apteque consulendum regimini ac necessitatibus fidelium, qui in praedicto territorio seu Prioratu continentur articulo IX superius dictae conventionis decretum est, ut Prior charactere Episcopali titulo Ecclesiae in partibus infidelium insignitus sit, firmiter confidimus in religione ac pietate Magni praedictorum Ordinum Magistri, Eum omnem curam in hoc collaturum ut nempe inter Ecclesiasticos viros ad Prioris munus obeundum eum nominet, qui pro suis dotibus idoneus et dignus sit ut Episcopali charactere augeatur.

IV.

Erit autem Magni eorundem militarium Ordinum Magistri novum Priorem infra trium mensium spatium a Prioratus vacatione nominare, ipsique Magno Magistro eiusque legitimis successoribus concedimus et indulgemus, ut cum aliquem Ecclesiasticum virum iuxta praemissa in Priorem deputabunt, vel deputaturi erunt, eumdem una simul in Episcopum Ecclesiae Dorensis in partibus Infidelium, quam Ecclesiam Prioratui perpetuo adiungimus, Nobis et Successoribus Nostris, Sedique Apostolicae proponere valeant, ac etiam debeant, et teneantur, ut ad enunciatam Ecclesiam Apostolica Nostra auctoritate promoveatur.

V.

Ita autem praedicti Ecclesiastici viri Episcopali dignitati coniunctum et adnexum esse ac fore Prioris nomen et munus Lintendimus, ut in itteris Apostolicis illius promotionis ad praedictam Ecclesiam in partibus Infidelium idem expresse ac perpetuo Episcopus Prior sit appellandus.

VI.

Eandem porro Episcopus Prior potestatem tum Ordinis tum iurisdictionis in tota sui territorii seu Prioratus regione, supra personas in eo degentes omnino exercebit, qua Episcopi omnes in suis Dioecesibus et in grege sibi concredito utuntur, et gaudent, ac ex peculiari Nostra concessione ipse poterit omnes Ordines tam minores, quam maiores suis subditis conferre, dimissorias litteras ad ordines suscipiendos concedere, Diocesanum Synodum celebrare. Idemque debebit residentiae, et visitationis obligationibus rite satisfacere, aliisque officiis et obligationibus quibus Episcopi obstringuntur.

VII.

Quo autem Episcopus Prior in perampla sui Territorii seu Prioratus regione omnes sui Ministerii partes accurate ac plene explere possit, Vicarium Generalem adjutorem sibi ac potissimum pro

cognoscendis et definiendis causis ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus omnino constituet, qui tamen Magno predictorum ordinum Magistro gratus et acceptus sit atque iis dotibus praeditus, quae in persona ad hoc Vicarii Generalis munus deligenda a Sacris Canonibus requiruntur.

VIII.

Ecclesiasticae causae in prima instantia apud Curiam Prioralem agentur, ac in ea iudicabuntur; in secunda vero instantia a Tribunali quatuor praedictorum Ordinum Militarium quod iuxta eorumdem statuta ordinatum esse debebit; in tertio demum iurisdictionis gradu a Tribunali Rotae, quod Apostolicae Nunciaturae nuncupatur, cognoscentur et definientur.

IX.

Episcopus Prior Prioratus semel sibi collati, quamdiu vixerit, possessionem retinebit, nisi illum una cum Ecclesiae Dorensis titulo sponte dimiserit, vel alia quacumque canonica ex causa munere suo perfungi desierit. Eveniente autem Prioratus vacatione Vicarius Generalis qui a Priore deputatus fuerat fidelium Prioratus regimen suscipiet illudque tenere perget usque dum Novus Prior Litteris Apostolicis sua super promotione ad Episcopalem Ecclesiam Dorensem acceptis Prioratus possessionem inierit, quo temporis spatio praedictus Vicarius

eamdem iurisdictionem apud praefatos fideles exercere poterit et debebit, quae ab Episcopo Priore exercebatur, iis exceptis quae Episcopalem ordinationem et characterem requirunt. Si vero ipsum Vicarii Generalis munus vacare contigerit, antequam novus Episcopus Prior instituatur hoc temporis spatio praedicta iurisdictionis potestas, servato Vicarii Generalis titulo, ab illo Ecclesiastico viro exercebitur, qui a magno praedictorum Ordinum magistro in vacantem Vicarii locum, idoneitate probe comperta, fuerit deputatus.

X.

Cum vero propriam praedicti Territorii seu Prioratus Ecclesiam congruenter designandam esse agnoscamus, ideo in Civitate Cluniae eiusdem Provinciae capite Parochialem Ecclesiam existentem, quae honori Sanctae Dei Genitricis Mariae dicata est, in Ecclesiam Parochialem sub eadem Beatae Virginis Mariae invocatione, servata parochialitate et cura animarum, sicut antea exercenda, Apostolica Nostra auctoritate instituimus, et uti talem haberi volumus ac declaramus, in quo uti Episcopis in suis Cathedralibus Ecclesiis, ita Episcopus Prior fixam sui honoris Sedem habebit.

XI.

Prioralis autem haec Ecclesia proprium Canonicorum collegium seu Capitulum habebit, idque

constabit Decano, qui semper primam Sedem post Prioralem obtinebit, quatuor Dignitatibus: nempe Archipresbyteri, Archidiaconi, Cantoris et scholae Prefecti, insuper quatuor Canonicis qui - de Officio nuncupentur - scilicet - Magistrali, Doctorali, Lectorali, et poenitentiario ac demum aliis octo Canonicis qui vulgo - de Gracia - nominantur.

XII.

Praeter Dignitates et Canonicos supradictos Ecclesia Prioralis duodecim Beneficiatos seu Capellanos adsistentes habebit, qui in eadem Ecclesia sui Ministerii partes exercebunt.

XIII.

Sancta autem haec Sedes, communi consensu cum Regiae Maiestatis Catholicae Gubernio, eamdem dotationem Priorali Ecclesiae Cluniensi constituit, quae attributa fuisset si ad formam articuli V conventionis superius memoratae huius Cathedralis Ecclesiae erectio ad exitum esset adducta: scilicet Episcopus Prior in annuum reditum Octaginta millia Argenteorum vulgo - Reales de Vellon - percipiet, Prima Dignitas decem et octo millia argenteorum, aliae Dignitates et Canonici - de Officio quatuordecim millia, Canonici reliqui duodecim millia, Beneficiati demum seu Capellani adsistentes sex millia argenteorum in annuum reditum singuli obtinebunt.

XIV.

Clericorum Seminarium insuper quanto citius ad normam et iuxta decreta Concilii Tridentini instituendum ac administrandum erit eique Regium Gubernium annuum reditum intra nonaginta et centum viginti millia argenteorum attribuet.

XV.

Pro sumptibus autem, qui ad Divinum Cultum in Priorali Ecclesia administrandum necessarii sunt intra septuaginta et nonaginta millia argenteorum ex publico aerario annualiter tribuentur.

XVI.

Annuus pro Parochis reditus iuxta ea quae articulo XXXIII. praedictae Conventionis pro aliis Dioecesium Hispaniae Paroeciis statuta fuere intra tria et decem millia argenteorum in Urbanis Paroeciis constituitur, in ruralibus vero minimus reditus ad duo millia et biscentum assignatur, Coadiutoribus et Æconomis intra duo et quatuor millia argenteorum annua vice conferentur.

XVII.

Impensae, quas erectio Prioralis Ecclesiae postulat a Regio Gubernio praestabuntur, idemque necessarias aedes pro Episcopo Priore, pro Seminario, et Ecclesiastica Curia providebit.

XVIII.

Quod vero pertinet ad religiosi cultus ministerium, sacrosque ritus in Priorali Ecclesia peragendos, Apostolica auctoritate statuimus atque decernimus, ut omnes et singuli qui in eiusdem Prioralis Ecclesiae Capitulum et Clerum cooptati fuerint Divina officia caeterasque Ecclesiasticas functiones et munia in eadem Ecclesia ad normam Ecclesiarum Cathedrálium Hispaniae rite ac diligenter obire et celebrare teneantur, ac praeterea possint in Choralibus aliisque Capitularibus functionibus ea respective gestare et adhibere indumenta atque etiam insignia quae a viciniorum Dioecesium Capitulis Clericis Cathedralibus probe gestantur et adhibentur.

XIX.

Et quoniam eiusdem Prioralis Ecclesiae Capituli propria esse debent onera et munia quae ab aliis Cathedralibus Capitulis in Hispania sustinentur, hinc predictae Ecclesiae Capitularibus Apostolica auctoritate impartimus, ut ipsi, excepto iure Vicarium Capitularem deputandi, qua in re quae superius articulo Nono constituta sunt, erunt observanda, ceterum iisdem iuribus, prerogativis, favoribus, privilegiis et indultis quibuscumque ac alia Cathedralia Collegia gaudent, fruantur; dummodo adhuc in usu sint, neque ex peculiari concessione vel oneroso titulo adquisita dignoscantur.

XX.

Eorumdem insuper Capitularium officium erit Capitularia statuta quae Apostolicis omnino constitutionibus et presertim Concilii Tridentini praescriptionibus consentanea sint sine mora opportune conficere eaque Episcopi Prioris approbatione confirmanda erunt, ut exinde vim obligandi habere valeant.

XXI.

Ipsorum pariter Capitularium officium erit eamdem honoris et obsequii rationem erga Episcopum Priorem implere, quam ex Concilii Tridentini decretis sessione vigesima quarta Cap. XII. de reformatione ex Caeremoniali Episcoporum lib. 1. Capitibus 2. et 15. atque ex Sacrae Congregationis Rituum responsis ac decisionibus Capitula Cathedralia erga proprium Episcopum servare tenentur.

XXII.

Provisio autem omnium Dignitatum, Canonicatuum, Praebendarum et Beneficiorum etiam curam animarum habentium ad magnum Magistrum semper et quandocumque pertinebit; verum Canonicatuum - de officio - et omnium Paroeciarum provisio fiet praevio concursu, qui quoad illos eadem prorsus ratione habebitur, quae in Cathedralibus Hispaniarum Ecclesiis servatur, quoad Paroecias autem juxta

formam a Sacro Concilio Tridentino constitutam: in utroque casu Episcopi Prioris erit terniones ex concurrentibus approbatis efformare; qui ad magnum Magistrum deferentur ut inter propositos eligere queat; atque idem Episcopus Prior vel alius Ecclesiasticus vir ex eius mandato provisos in possessionem Beneficiorum immittet.

XXIII.

Declaramus insuper ac decernimus Episcopum Priorem, Dignitates, Canonicos, Parochos ceterosque Beneficiatos, quo facilius et commodius huiusmodi Ecclesiasticis officiis provideatur, extra numerum Equitum praedictorum quatuor Militarium ordinum, non obstantibus contrariis statutis et Ordinationibus, eligi posse, ea tamen conditione, ut ita electi quam primum curent ut alicui ex praedictis Ordinibus adscribantur.

XXIV.

Omnes Ecclesiasticas iurisdictiones quae a magno Magistro et Tribunali vel consilio Ordinum praedictorum olim exercebantur in iis territoriis divisis ac dispersis, nec non in aliis locis omnibus, Ecclesiis, Monasteriis, Institutis, quae ad praedictos Ordines pertinebant, iterum abolemus et abolitas declaramus, confirmantes utrasque Apostolicas Nostras litteras alteras quarum initium - quo gravius -

alteras - quae diversa - quae uno eodemque die a Nobis edita fuerunt.

XXV.

Ut autem omnia a Nobis ut supra disposita et constituta rite accurate ac celeriter ad optandum exitum adducantur, Dilectum Filium Nostrum Ioannem Ignatium Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Moreno Archiepiscopum Toletanum, qui prudentiae fidei ac solertiae in exequendis aliis Nostris Litteris superius memoratis praeclarum specimen edidit, harum praesentium Nostrarum Litterarum pariter iudicem, exequutorem nominamus constituimus et deputamus, eique omnes et singulas facultates necessarias et opportunas concedimus, ut ad exequendam Prioratus quatuor predictorum ordinum Militarium erectionem, ac respectivi Territorii circumspectionem procedere, cunctaque alia in hisce Nostris litteris decreta ac statuta, nulla interposita mora, peragere ac implere delegata sibi Apostolica auctoritate libere et licite possit ac valeat; eidem praeterea facultatem tribuimus ut ad faciliorem et expeditiorem rerum omnium exequutionem unam, seu plures personas in Ecclesiastica Dignitate constitutas subdelegare, et tam ipse quam persona, vel personae ab eo sic delegandae super quacumque oppositione in actu huiusmodi exequutionis quomodolibet fortasse oritura, etiam definitive et quacumque appellatione remota, servatis tamen servandis, pronunciare libere item et licite possint et valeant.

XXVI.

Eidem insuper praesentium Litterarum exequutori superius memorato committimus et mandamus, ut in exequutoriali decreto propria confinia universae provinciae civilis Cluniaecque Prioratus territorium constituat, adamussim diligenterque describat, itemque descriptionem singularum Paroeciarum et habitantium, qui in Prioratus territorio continentur accurate conficiat; ac volumus, ut idem omnium et singulorum actorum, quae in ipsarum litterarum Nostrarum exequutionem ab ipso emittenda erunt, exempla authentica forma exarata ad Nostram Congregationem rebus Consistorialibus praepositam in eiusdem Congregationis Tabulario asservanda intra sex menses ab harum litterarum receptione, si fieri possit, transmittere teneatur.

XXVII.

Declaramus praeterea, ut idem dilectus filius Noster Archiepiscopus Toletanus praesentium litterarum exequutor spiritualem Prioratus administrationem gerere debeat usque dum Episcopus Prior, iuxta praemissa, constituendus Prioratus possessionem acceperit.

XXVIII.

Mandamus denique, ut, postquam praesentes litterae exequutioni demandatae fuerint, omnia et

singula documenta processus, causarum positiones, piarum fundationum et legatorum instrumenta, quaecumque demum scripta sive res, sive iura, sive personas, rationesque Ecclesiasticas Prioratus respicientia ab Episcopalibus cancellariis Toletana Conchensi et Cordubensi extrahi queant et in propria Prioratus Cancellaria fideliter pro necessitate reponantur atque asserventur.

Haec statuimus volumus, praecipimus, atque mandamus decernentes has praesentes litteras et omnia in eis contenta ac decreta quaecumque nullo umquam tempore de obreptionis subreptionis aut nullitatis vitio ex quacumque causa etiam privilegiatissima vel ex consuetudine licet immemorabili, vel ex quovis alio capite etiam in corpore iuris clauso, a nemine cuiuslibet conditionis et dignitatis etiam Regiae et Imperialis notari impugnari, aut alias infringi, suspendi, limitari, vel in controversiam vocari posse, sed semper firmas validas et efficaces existere et fore, non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula - De iure quaesito non tollendo - ac quibusvis aliis etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis constitutionibus Apostolicis, nec non Metropolitanae Toletanae, ac Cathedralium Conchensis et Cordubensis Ecclesiarum etiam iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, privilegiis quoque et indultis ac litteris Apostolicis quibusvis personis quomodolibet concessis approbatis et innovatis, contrariis quibuscumque quibus omnibus et singulis

(illorum tenores pro expressis et ad verbum insertis habentes) illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum dumtaxat specialiter et expresse derogamus.

Volumus insuper ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum suppressionis, abolitionis, rescissionis, dismembrationis, unionis, separationis, aggregationis, erectionis, circumscriptionis, concessionis, indulti, assignationis, attributionis, derogationis, statuti, decreti, declarationis, commissionis, deputationis, mandati, et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octigentesimo septuagesimo quinto. Quarto Decimo Kalendas Decembris Pontificatus Nostri anno Trigesimo.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
BARNABAE EPISCOPO BIRLIENSI
VICARIO APOSTOLICO TVNQVINI ORIENTALIS

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Lugubres tandem vestes ecclesiam istam deposuisse laetamur, Ven: Fr: tibique gratulamur, quod post saevissimam ac diuturnam procellam a potestatibus tenebrarum commotam solem iustitiae tandem splendescere videas, excultamque a te et decessoribus tuis terram dare fructus suos. Si dictum olim fuit, martyrum sanguinem esse semen christianorum, id nunc rursum ita esse demonstrat ista regio tam copioso illorum sanguine irrigata, ubi iam ad suos redeunt exules, carcere detenti, filiae raptae, ubi licet sacris ministris evangelium publice nunciare, ubi divinus cultus ampla gaudet libertate, ubi simultas procerum in amicitiam convertitur, ubi demum populi turmatim concurrunt

ad Christi caulam. Haec quae Nos iucundissime solantur, te quoque non mediocriter erigere debent; licet e tam fausto eventu innumeras erumpere videas sollicitudines, quae novum prolixum tibi pareut martyrii genus. Cum enim tuae tuorumque sacerdotum vices impares omnino sint tam uberi messi excipiendae; ipsa copia vos facit inopes, et caritatem vestram in vestrum angorem convertit. Nos enixe rogamus Dominum messis, ut operarios mittat in messem suam; ac interim vobis det vocem virtutis, quae, sicuti iam in Apostolis, non homines singillatim, sed hominum millia subiiciat evangelii iugo. Ceterum tu gratulationes Nostras excipiens, eas nomine Nostro porrige ad Clerum et populum; fidelesque excita ad agendas Deo gratias, et ad indultae pacis beneficium rependendum per sedulam divinorum praeceptorum custodiam, eamque immaculatam vitae rationem, quae fiat omnibus bonus odor Christi, quaeque per mansuetudinem et caritatem alliciens sedentes in umbra mortis, eos ad veritatis lucem adducat. Haec tibi, Clero tuo et fidelibus tuae curae creditis toto corde adprecamur, dum divini favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem tibi, Ven: Fr: et iis universis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum 22 Novembris 1875 Pontificatus Nostri anno Tricesimo.

PIVS PP. IX

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS

VNIVERSIS CATHOLICIS IN NEERLANDIA COMMORANTIBVS.

PIVS PP. IX

DILECTI FILII, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nondum secundus elapsus est annus, ex quo, uti nostis, Dilecti Filii, novo confiximus anathemate pseudo-Episcopum Daventriensem Hermannum Heycamps ob novum sacrilegum scelus, quo iansenianae suae sectae sodalem Gasparem Ioannem Rindel in locum defuncti pseudo-Episcopi Harlemensis Roterdami consecravit una cum apostata Reinkens, quem sibi Neo-haeretici Germaniae, vulgo dicti *veteres catholici*, nefario ausu sibi pseudo-Episcopum elegerant: et iam ipse ad Christi tribunal fuit appellatus. Infelici tamen eius exitu minime commotus Ultraiectinus pseudo-Archiepiscopus, defuncto statim suffecit quemdam e suae sectae parochis Cornelium Diependaal; quo in Daventriensi sede constituto, minime veritus est Nobis nunciare per epistolam datam die decima huius mensis, qua etiam impudenter

petiit, factam a se electionem Auctoritate Nostra confirmari. Et hanc quidem nugacem observantiae speciem tunc ipse ostentavit, cum facto suo confirmaverat, et promoverat unitatis dissolutionem, cum proculcaverat huiusce S. Sedis iura, cum procacissime contempserat irrogatas toties, ob eamdem causam suis sodalibus poenas. Nos igitur, ne debitae vobis, Dilecti Filii, commonitionis muneri deesse videamur, et tantum tolerare facinus, Auctoritate Nobis Divinitus demandata Cornelii Diependaal electionem in Episcopum Daventriensem illicitam, irritam, ac nullam, consecrationem vero illegitimam ac sacrilegam esse declaramus et decernimus, ipsumque una cum omnibus, qui eius electioni et consecrationi operam, consilium, consensum quomodolibet praestiterunt, excommunicatos haberi a catholicis universis, praesertim vero a Vobis districte praecipimus. Sciat insuper Cornelius Diependaal, sibi, nisi novis se poenis obligatum velit ab iis omnibus plane esse abstinendum, quae propria sunt episcopalis iurisdictionis aut ordinis. Quamobrem nunquam ipsi licebit sacrum chrisma conficere, sacramenta confirmationis et ordinis conferre, quemquam animarum curae praeficere et alia quaecumque agere quae vel episcopalis sunt ordinis, quae nullo modo licite exercere potest, vel ad episcopalem pertinent iurisdictionem, qua plane destituitur.

Verum si a Nobis, credita catholicae unitatis cura, iurium huiusce S. Sedis custodia, ecclesiasticae disciplinae tutela, severitatem hanc extorquent in eos, qui pervicaciter inconsutilem Christi vestem

discindunt; libenter prorsus ac laeti ipsos exciperemus recedentes ab indubio, in quo versantur, perditionis aeternae discrimine, et ad Nos redeuntes paterno complecteremur affectu. Hoc Nos enixis precibus a Deo poscimus, hoc vos postulate Nobiscum, Dilecti Filii, ac instanter ab ipso petite, ut istorum schimaticorum mentes illustret, corda emolliat, voluntatem flectat, eosque ad Matris Ecclesiae sinum, a qua iamdiu infeliciter discesserunt, demum reducat. Utinam citius universa patria vestra idem credat, idem sentiat, fiat cor unum et anima una; sed manus Domini non est abbreviata, et illucescere tandem illa dies debebit, qua totus orbis sub uno pastore fiat unum ovile. Optatissimum hunc eventum vobis ex corde adprecamur, Dilecti filii, et interim divini favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem vobis omnibus peramanter impertimus. Datum Romae apud S. Petrum die 25 Novembris 1875. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
HENRICO EPISCOPO GAVDAVENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Tuae litterae ad Nos datae die 3 nuper elapsi mensis dum ex una parte Nobis consolationem attulerunt ob ea quae nunciabant de salutari et uberi fructu, quem ex Iubilaeo a Nobis indicto Fideles tui partim iam perceperunt, partim pie percipere student, ex altera, Ven. Frater, quo maior est existimatio et dilectio qua te prosequimur, eo maiorem Nobis admirationem iniecerunt ob ea quae disseruisti de infausta illa Civilis auctoritatis lege, qua Sacri Pastores sub poenali sanctione prohibentur, ne Fideles ad matrimonium coram Ecclesia contrahendum admittant, nisi isti prius coram publico Magistratu matrimonium quod civile vocant iniverint. Ea enim quae de hac re scripsisti huiusmodi sunt, ut non praedictam legem aversari, sed eam potius probare ac tueri videaris. At, si Apo-

stolicae huius Sedis iudicium quod de illa lege latum est respicias, Ven. Frater, longe aliter de illa tibi iudicandum esse cognosces. Cum enim ea sit natura ac indoles illius legis ut doctrinae Catholicae, rectae morum regulae ac libero pastoralis ministerii exercitio aperte adversetur, hinc eam Praedecessores Nostri ac Nos ipsi pluries pro nostro munere reprobavimus atque damnavimus. Quod enim Ecclesiae Catholicae doctrinae repugnet plane patet, si animadvertas fundamentum illius legis in ea erronea opinione esse positum, quae civilem contractum a Sacramento inter fideles separari posse putat, eamque legem non aliam matrimonii religiosi rationem habere, nisi ut poena plectatur, cum initum fuerit, non impletis ante civilibus praescriptionibus ex quibus unice iuxta eamdem legem tota vis contractus matrimonii pendet, dum contra in iis civilibus actibus seorsum a Sacramento spectatis non aliud agnoscit, neque agnoscere potest Ecclesia, quam legalem quamdam formam, qua turpis concubinatus involvitur. Hinc porro est quod praedicta lex sanae etiam morum rationi repugnat, ob ea pericula quae ex ipsa inducuntur. Contingere enim potest tum ut uterque vel alteruter ex sponsis peractis civilibus actibus religiosum matrimonii ritum obire negligant, atque ita vivant vel vivere in misero concubinatu cogantur; tum saltem ut sponsi antequam sacro Catholicae Ecclesiae ritu iungantur, interea nimium inter se familiariter agant, ac sub eodem tecto in communi habitent, sicuti in iis regionibus ubi praedicta lex viget, deploranda sane experientia

demonstrat. Nec praeterea obscurum est, quod eadem lex necessariam ac salutarem ministerii pastoralis libertatem graviter laedat, cum in pluribus adiunctis, in quibus propter circumstantias temporis vel personarum civilis legis praescripta impleri nequeunt, nullo tamen pacto differri possit Christiani Matrimonii celebratio sive ad restituendam animis stimulorum morsu vexatis, tranquillitatem, sive ad aliquod grave scandalum quod immineat removendum, sive ad familias diuturnis et acerbis dissidiis infensas inter se reconciliandas, sive demum ad consulendum animae Christianae, quae Dei iudicium brevi est subitura. His de causis non potuimus, Ven. Frater, non aegerrime ferre, quod in ista Belgica regione recenter accidisse cognovimus, Parochum nempe iudicio subiectum ac damnatum fuisse, quod cuiusdam morientis aeternae saluti per celebrationem Matrimoni Christiani prospexerat. Quid enim indignius quam a Magistratibus Catholicis in Catholica regione sacrum Pastorem poena affici eam unice ob causam quod officio satisfecerat, quod sacri ministerii actum, qui sacramenti sanctitatem spectabat, necessario peregerat, iis in adiunctis, in quibus si tantum distulisset, gravissimo se crimini fuisset obnoxius? Hinc est, Ven. Frater, quod die 3. elapsi Octobris coram nobili coetu Belgicorum Fidelium, qui in almam hanc Urbem venerant, ut obsequium filialis suae devotionis Nobis afferrent, et Sacri Iubilaei indulgentias lucrarentur, ea verba habuimus de quibus mentionem facis in tuis litteris, illos hortantes

ad agendum suis postulationibus apud Gubernia, ut conctractui civili Sacramentum Matrimonii praecedat. Si huiusmodi res a Comite Iosepho de Hemptinne aliisque tuis Dioecesanis qui illi sese adiunxerunt, nunc omnino postulatur in supplicibus litteris, quas, ut refers, Serenissimo Regi obtulerunt, Nos certe non videmus quonam pacto eorum agendi ratio ob hanc causam possit iuste improbari, quasi ipsi ad immutandam Constitutionem Regni, imo ad eam evertendam animum adjiciant. Quae accusatio futilis ac ponderis expers eo magis videtur, quod ipsa regni lex seu constitutio ius tribuit civibus, ut huiusmodi postulata possint exhibere. Quod si toties isthic improbi hoc iure usi atque abusi sunt in detrimentum Ecclesiae, cur non liceat fidelibus in ipsius Ecclesiae utilitatem ac bonum ius illud experiri? Vides itaque, Ven. Frater, Nos nullo modo tibi assentiri posse in iis querelis, quae a te contra praedictos tuos dioecesanos ac potissimum adversus Comitem de Hemptinne proferuntur, cuius caeteroquin pietatem et caritatem in miseros apud Nos commendas; quamquam Nos illud optemus, ut Fideles in iis omnibus, quae in publicum rei Catholicae bonum facere intendunt suorum Episcoporum consilio et ductu regantur, nunquam plane dubitantes hos doctrinarum et salutarium praescriptionum, quae ab hac Apostolica Sede traduntur, fidelissimos semper interpretes et vindices fore. Haec sunt, Ven. Frater, quae tibi pro Nostro munere rescribenda censuimus, ac a Te postulamus, ut cures uti haec ipsa Dilecto Filio Nostro Archiepiscopo

Mechliniensi innotescant. Quod superest sinceram Nostram dilectionem tibi declarantes, in eius pignus et in auspicium caelestium gratiarum Apostolicam Benedictionem tibi, cunctoque cui praesides gregi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 1 Decembris 1875. Pontificatus Nostri Anno XXX.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE SVPPRESSIONE ECCLESIAE EPISCOPALIS AQVILANAE
CVM NOVA ERECTIONE EIVSDEM
IN ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Suprema dispositione, cujus inscrutabili providentia ordinationem suscipiunt universa, in sublimi Apostolicae dignitatis fastigio, nullis plane Nostris meritis suffragantibus, collocati, illiusque qui gloriosus regnat in caelis vices gerentes in terris, inter ceteras curas humeris Nostris incumbentes ad ea libenter intendimus per quae Nostrae provisionis ope Cathedrales Ecclesiae dignoribus titulis illustrentur et condignis favoribus attollantur. Cumque hoc statui et decori Ecclesiarum maxime congruat et in divini cultus ac spiritualem Christifidelium consolationem vergat in id sollicitudinis Nostrae partes favorabiliter interponimus, ac opem et operam Nostras libenter impendimus. Sane ex parte tum Venerabilis Fratris Nostris Aloisii Filippi hodierni Aquilani Antistitis, tum dilectorum Filiorum Capituli Cathedralis,

et universi Aquilanae Dioecesis Cleri, iterum atque iterum Nobis et huic Apostolicae Sedi preces humiliter oblatae fuerunt ad hoc, ut Cathedralem Ecclesiam Aquilanam, quae Episcopali titulo ad praesens decoratur, ad Ecclesiae Metropolitanae decus et fastigium evehere Apostolica Nostra auctoritate dignaremur.

Aquilana siquidem moderna Dioecesis centum propemodum incolarum millia continere refertur; Aquilae vero Civitas, uti ex historia proditum est, iam inde a saeculo tertiodecimo sub Friderico tertio condita, praestanti adhuc munita est arce; illius ambitus, moeniis vallatus ad tria ferme milliaria circumfertur, fere viginti continet incolarum millia et vicenas Paroecias, atque adeo trium in Aprutiis provinciarum Metropoliticum fere caput esse meruit. Ipsa insuper civitas aedes et vias habet satis amplas et ordinatas decoris utrinque aedibus vel palatiis ornatas, nec late ibi desunt plateae ac perennes aquarum fontes, nec non insignia sive veteris sive recensioris artis monumenta; Praesertim vero inibi tres et sexaginta extare perhibentur Ecclesiae, quas inter quatuor Insignes numerantur post Cathedralem Collegiatae duaeque (uti appellant) Receptitiae, praeterea decem nuper quidem ob praesentium rerum adiuncta suppressa caenobia, ubi tamen aliquot adhuc degunt Regulares ad coniunctarum Ecclesiarum custodiam, divinumque cultum, meliori quo fieri potest modo, exercendum; octo insuper pro faemineo sexu Monasteria quorum dumtaxat unum suppressioni iam fuisse obnoxium dicitur, tum

quatuor etiam pro mulieribus Conservatoria et Asceteria tum Orphanotrophium pro masculis, Xenodochium pro egenis et infirmis advenientibusque peregrinis, quod Sanctus Ioannes de Capistrano nuncupatus jampridem provide erexerat, tum denique piae septem supra viginti adsunt laicorum Sodalitates.

Ipsa vero Cathedralis Ecclesia Deo in honorem Sanctorum Martyrum Maximi et Georgii dicata, jam inde ab anno Domini Millesimo Ducentesimo Vigesimo Octavo ex salutari recolendae memoriae Alexandri Papae Quarti Praedecessoris Nostri providentia erecta sub immediata Sedis Apostolicae subiectione constituta fuit, et in templo Sanctae Mariae vulgo di Collemaggio feliciter evenit, ut anno millesimo ducentesimo nonagesimo quarto fuerit consecratus, et uti supremus Ecclesiae Pontifex coronatus Sanctus Celestinus hoc nomine quintus Praedecessor quoque Noster, cuius exuviae inibi magnifico sub Mausoleo religiose adservatae coluntur. In alio insuper Civitatis Templo a Sancto Bernardino Senensi nuncupato ipsius corpus conditum extat conspicuo in monumento frequenti fidelium veneratione celebratum. Dicti autem Cathedralis Templi aedificium egregiam praesefert structuram, ac omnia in eo extant necessaria et opportuna ad divini cultus exercitium; et harmonium, scilicet pneumaticum organum, et gradatim ordinatum presbyterium, et Sacra satis locuples suppellex pro solemnibus explendis Pontificalibus, Capitulum vero in praesens ex una post Pontificalem maiore dignitate Archidiaconali,

aliisque undecim Canonicis Presbyteralibus compositum constat, quibus decem Mansionarii aliique simplices Presbyteri ultra Coadiutores qui sacris ibidem explendis caeremoniis dictae Cathedrali diligenter inserviunt. Haud denique Nos latet Aquilanum populum impensum erga Apostolicam Sedem studium et devotionem perpetuo professum esse et profiteri.

Nos igitur haec omnia prae oculis habentes quae specialem Apostolicae Sedis favorem merito sibi vindicant, ac simul spiritualem dilecti Aquilani populi aedificationem provehere cupientes ac pergratam rem facere memorato Aloisio Episcopo, tum de ea quam regit Ecclesia, tum de re Christiana Sanctaque Apostolica Sede suis etiam studiis in Œcumenico Vaticano Concilio collatis optime merito, praefata vota benigna animi Nostri propensione prosequi non dubitavimus. Re igitur probe perpensa, cunctisque quae animadvertenda erant matura deliberatione pensatis, nec non omnes et singulos quibus hae Nostrae litterae favent a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, Motu proprio, et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine Episcopalem Ecclesiam Aquilanam et in ea titulum denominationem et essentiam Cathedralitatis (novi et excelsioris assequendi gradus et dignitatis gratia) perinde ac si Cathedra Episcopalis inibi nunquam ex-

titerit nec non illius Sedem et Cathedram (sarta tamen et intacta illius Parochialitate, utpote modo adnexa reperitur omnino remanente) perpetuo extinguimus et abolemus.

Eademque porro ratione, et indulto illud quoque Cathedrale Capitulum una cum adiecto Mansionariorum caetu, ut protinus prestantiori gradu et diguitate noviter refici queat, perpetuo item dissolvimus atque supprimimus.

Aquilanam idcirco civitatem pristino Episcopali titulo omisso ad Archiepiscopalis civitatis gradum et dignitatem eadem Apostolica auctoritate evehimus atque extollimus, ita ut deinceps ipsa Archiepiscopalem nuncupationem preseferat, et conditionem; nec non omnibus et singulis iuribus honoribus praerogativis favoribus gratiis indultis et privilegiis, quibus aliae in Italia Civitates Archiepiscopali titulo et residentia insignitae ordinario gaudere fruique solent, pariter frui et gaudere possit et valeat.

Insuper Episcopalis Ecclesiae Aquilanae titulo, et nomine Cathedralitatis ceterisque ut praefertur suppressis et extinctis, Ecclesiam eamdem quae inibi Parochialis et in honorem Sanctorum Martyrum Maximi et Georgii dicata existit, ad Majorem Dei gloriam et laudem, ac Beatae Virginis sine labe conceptae ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, atque Catholicae, religionis incrementum et Christifidelium spirituale bonum et consolationem in eminentiorem Ecclesiae Archiepiscopalis gradum et fastigium pari Apostolica auctoritate perpetuo item erigimus atque constituimus, conservato tamen prisco

suo titulo sub Sanctorum Martyrum Maximi et Georgii veneranda invocatione, ac suffraganeis interim nullatenus addictis.

Hac igitur in Ecclesia Sedem Cathedralem et dignitatem Archiepiscopalem denuo erigimus atque constituimus pro uno posthac Archiepiscopo Aquilano rursus nuncupando qui Apostolicae Sedi sit ut antea subjectus quique eidem Archiepiscopali Ecclesiae Civitati et Dioecesi eiusque pariter Clero et populo in Domino praesit nomen titulum et praeminentiam Archiepiscopi praeseferre valeat. Religionem Catholicam Apostolicam Romanam sartam tectamque servare ac tueri curet, Synodum Dioecesanam convocare, Dioecesim visitare, instructiones et ordinationes exigere muniaque et officia Archiepiscopi iuxta Concilii Tridentini et Apostolicarum Constitutionum sanctiones exercere teneatur, usum insuper anuli et Crucis Archiepiscopalis habeat nec non omnibus et singulis iuribus, insignibus, honoribus, praerogativis, indultis, privilegiis ceterisque omnibus et singulis quae alii Archiepiscopali titulo ac dignitate praediti Antistites in Italia ordinario more obtinent ac legitime fruuntur, iis vero exceptis, quae vel oneroso titulo vel peculiari ex indulto aut privilegio fortasse quaesita et concessa fuerint, uti et frui possit et valeat.

Huic igitur tum primo futuro tum postero cuique Aquilano Archiepiscopo postulandi sacrum Pallium riteque obtentum illud induendi intra vero suae tantummodo Dioecesis limites et certis quibusdam diebus certasque inter functiones quemadmodum ex Apostolicis Constitutionibus et Ecclesiasticis discipli-

nis in more iam positum hodieque praescriptum religiose observandum comperitur veniam atque privilegium facimus et impertimur. At enim inter festos dies uteumque pro usu sacrii Pallii signanter praefixos, tum dies dedicationis ipsius Ecclesiae, tum Sanctorum Martyrum Maximi et Georgii, tum etiam si placuerit solemnia peragi Pontificalia, dies etiam, ille qui celebrandus inciderit utpote festus in honorem eius praecipue Sancti cuius nomen unusquisque Aquilanus Antistes impositum sibi praeferat venerandum condecenter pieque adnumerentur.

Aquilana vero Ecclesia ad honorificum Archiepiscopalem titulum interim absque suffraganeis erecta eamdem rursus retineat, satis amplo et praestanti animarum numero, confertam dioecesim quo videlicet ad ipsam in primaeva suae Cathedralitatis conditione, comperitur hactenus pertinere una itidem cum omnibus singulisque insitis civitatibus, oppidis Paraeciis et quibuslibet Ecclesiis piisque Institutis, una demum cum incolis et dioecesanis, quibusque accessoriis consuetis. Ea igitur de re universi huiusce Dioecesis eiusque singuli habitatores loca et res praesto sibi habeant, fruanturque iis omnibus honoribus, praeeminentiis, praerogativis facultatibus, indultis, gratiis privilegiis et ceteris quibuslibet, quae obtinent, eisque hodiedum ordinarie utuntur, aliae huiusmodi Archiepiscopales in Italia Dioeceses, earumque incolae ac etiam res (dummodo tamen peculiari ex gratia vel oneroso titulo non fuerint concessa vel praescripta). Memoratae insuper Aquilanae Ecclesiae in Archiepiscopalem ut supra

erectae Capitulum veluti ex nova erectione ad Archiepiscopalis Capituli gradum, titulum, et dignitatem Motu simili, Apostolica auctoritate praefata perpetuo item extollimus. Illud itaque constitutum sit interim, ut antea ex duodenis canonicis, compraehensa quidem unica post Archiepiscopalem dignitate Archidiaconali cum Theologo ac Penitentiario, superaddito insuper eodem decem Mansionariorum caetu. Infrascripto tamen praesentium litterarum pro huiusmodi negotio Exequutori, sive cuicumque pro tempore Aquilano Antistiti aliam vel binas dignitates ac insuper Diaconales quatuor Canonicatus augendi, statim ac id congruis dotationibus opportune comparatis fieri poterit, iuxta Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum rescriptum, quod iam inde ab anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto sub die septima mensis Ianuarii latum asseritur, facultatem pariter facimus et impertimur. Pro singulis igitur hisce Canonicis, itemque singulis addictis Mansionariis eadem porro ut antea, tum canonica tum beneficiaria emolumenta praebendae viritim maneant percipienda, cum adiectis scilicet honoribus impositisque de more oneribus plene diligenterque satisfaciendis.

Ceterum memorato Capitulo quemadmodum eadem incumbere debent onera et munia quibus Archiepiscopales in Italia Ecclesiae funguntur, ita simili Apostolica auctoritate concedimus, ut ipsum omnibus iisdem honoribus, privilegiis praeeminentiis

praerogativis, favoribus, gratiis, indultis, ceterisque omnibus quae huiusmodi Capitulis tribui de more solent, frui et gaudere possit. Praefatis itaque tum Canonicis tum Mansionariis item facultatem facimus, ut ipsi in choralibus et Capitularibus quibusque functionibus ea respective habere atque adhibere Ecclesiastica indumenta possint, quibus modo alterum ex vicinioribus huiusmodi Capitulis nempe Theatinum ordinarie utitur; ea vero excepta censeantur et sint, quae peculiari ex gratia comperiuntur concessa.

Habita porro etiam sui dignioris status ratione eidem Capitulo pro recta Ecclesiasticorum officiorum directione, atque Capitularium rerum administratione, ut ipsum sive pristina reformare, vel etiam noviter conficere statuta Capitularia, ordinationes et decreta quae tamen sacris canonibus, Apostolicis constitutionibus et Œcumenicae presertim Tridentinae Synodo sint consentanea ac nullatenus adversantia: quaeque nihilominus ab ordinario Archiepiscopo perpendenda prius ac deinde sint approbanda, ut sibi valeant canonicam legis vim vindicare, pari Apostolica auctoritate tribuimus facultatem.

Ut autem divina officia et munia Capitularia diligenter ac libentius peragantur, praecipimus atque mandamus, ut ad praescriptum eiusdem Sacri Concilii Tridentini massa communis ad quotidianas distributiones, si forsan antea fuerint omissa, protinus conficiatur, et constituatur quotannis ex tertia redituum parte singulorum quorumcumque Canonicatuum et aliorum itidem Beneficiorum. Decernimus

pariter, quod animarum cura pro Paroecia, quae eidem Cathedrali Ecclesiae in Archiepiscopalem nunc erectae adnexa reperitur eodem sicuti antea modo concredita sit atque administretur; Parochialia item omnia Beneficia nonnisi per concursum iuxta memoratae Tridentinae Synodi praescripta, Canonicatus autem Theologalem et Penitentiarium ad formam Constitutionis fel. rec. Benedicti Papae decimi tertii pariter Praedecessoris Nostri quae incipit - *Pastoralis officii, conferri praecipimus pariter et mandamus*.

Pro Aquilani vero, pro tempore existentis, Archiepiscopi habitatione et residentia eiusque Curia et cancellaria illud idem antehac Episcopale Palatium una cum adnexis quibusque aedibus et locis apte destinatum iterum assignamus atque constituimus, ita ut istud deinceps Archiepiscopale palatium nuncupetur, itemque Archiepiscopalis quoque denominetur eius curia et Cancellaria.

Alterum itidem aedificium cum adiectis locis et rebus pro Seminario Ecclesiasticorum Alumnorum in bonitate, disciplina et scientia Domini, iuxta Concilii Tridentini praescripta educandorum, hactenus Episcopale, Seminarium Archiepiscopale Aquilanum esse declaramus, atque in hunc usum confirmamus et adsignamus una scilicet cum suis omnibus bonis redditibus, iuribus, et praerogativis. Ceterum super annuis reditibus pro Aquilani Archiepiscopi usu, tum necessario, tum opportuno ad suam decenter sustentandam dignitatem et pastorale ministerium, quoniam probe novimus, quod, etsi illi superiori

tempore quotannis consueverint attingere saltem sex et viginti italicarum libellarum millia, postmodum vero adeo quidem sunt imminuti ut hodiedum tredecim libellarum similium millia vix suppeditare censeantur, simili Apostolica auctoritate per praesentes praecipimus, quod ii, quoquot fuerint, penitus libereque pro Archiepiscopali Mensa Aquilana maneant adiudicati; Sperantes interea quod in maiorem deinceps satiusque idoneam summam assurgant, et commendantes propterea quod, quamprimum fieri poterit, sive Christifidelium munificentia, sive alio quovis convenienti modo religiose opportuneque ad aliorum Archiepiscopatuum illic extantium praescriptam normam augeantur.

Pro fabrica vero et sacrario eiusdem Archiepiscopalis Ecclesiae rursus eadem omnia pristina sive bona, sive reditus, nec non quaevis emolumenta sive subsidia et quaevis praestationes ad necessaria et opportuna inibi obeunda stabiliter confirmentur, quod si prisca in huiusmodi usus adhibenda dotatio, habita etiam moderni splendidioris status ratione, aliquatenus impar existimetur, maximopere commendamus, ut usque ad congruam opportunitatem, qua et quando fieri melius poterit, augeatur.

Enimvero propter hanc novam ipsius Ecclesiae Aquilanae per Nos praesentium vigore in Archiepiscopalem nunc erectae conditionem novumque statum (primaeva sua Cathedralitate suppressa et penitus extincta) noviter etiam in Pontificio Consistorio praeficiendum ei foret Antistes verumtamen de Apostolicae potestatis plenitudine, ac suprema

Nostra auctoritate earumdem tenore praesentium decernimus atque statuimus, ut memoratus Venerabilis Frater Noster Aloisius Filippi, qui hodiedum Ecclesiae Aquilanae praefuit eamdem Archiepiscopali titulo decoratam valeat obtinere, atque administrare ipsumque per easdem praesentes ipsius Archiepiscopalis Ecclesiae Antistitem renunciamus, eique ut ipsam Aquilanam Ecclesiam ad Archiepiscopale fastigium, ut praefertur, erectam indesinenter possidere et gubernare possit et valeat, absque ulla nova Apostolicarum litterarum expeditione, concedimus et indulgemus.

Ipse igitur aeque ac posterus quisque Successor in Pontificio Consistorio praeconizandus apprime valeat et debeat super eadem Archiepiscopali Ecclesia universaque Dioecesi et singulis incolis (peculiari non gaudentibus exemptione) omnia nempe iura, privilegia, praerogativas, facultates honores et cetera omnia quae sunt ordinis et huiuscemodi conditionis atque iurisdictionis Archiepiscopalis praesto sibi habere, tueri; atque iugiter exercere, reservato tamen sacri Pallii usu, donec apud Apostolicam Sedem postulatum de more non fuerit atque impetratum.

Memorato insuper noviter erecto et constituto Capitulo eique adiecto Mansionariorum Clero, qui ex praedicta suppressione extincti haberi deberent concedimus ut ipsi tum Dignitarii, tum Canonici, tum Mansionarii, qui in supradicta noviter erecta Archiepiscopali Ecclesia, dignitates, Canonicatus, vel beneficia legitime ac pacifice possident licite valeant et pergant viritim ea quoque sibi retinere, frui, ac

possidere, quin teneantur, sicuti deberent, si novi status acquirendi gratia ea beneficia denuo conferrentur, novas provisionis litteras seu quosvis alios (uti vocant) *Investiturae* seu canonicae institutionis actus iterare.

Ad collationes autem tum praefatorum quorumcumque Canonicatuum, atque beneficiorum ipsa in Ecclesia iam extantium, tum quomodolibet erigendorum ea videlicet, quae consulto per Sacros Canones et Apostolicas Constitutiones praescribuntur observanda, fideliter et adimplenda esse mandamus.

Praesentes quoque litteras, et in eis contenta quaecumque, ullo umquam tempore de subreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae aut quocumque alio defectu, quantumvis iuridico et substantiali, et iam ex eo quod quicumque in premissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes vel habere putantes aut praetendentes cuiuscumque qualitatis status gradus conditionis et dignitatis existant, ad id vocati citati et auditi non fuerint, ac iisdem praesentibus non consenserint, ac causae propter quas praemissa omnia et singula emanaverint minime vel minus sufficienter examinatae fuerint, et ex quacumque alia causa quantumvis legitima, pia, privilegiata, de speciali nota digna impugnari, invalidari, infringi, aut irritari, vel ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas oris aperitionem, aut aliud quodcumque iuris vel facti remedium, etiam ex capite cuiuscumque praeiudicii impetrari, ac etiam Motu et plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices successo-

res Nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in iudicio et extra illud allegari deduci, aut alias illo quomodolibet uti non posse, quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo valida firma et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam Consistorialibus minime comprehendi nec comprehendi aliquo modo debere, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restituta, reposita et plenarie reintegrata esse et fore, sicque et non alias per quoscumque Iudices Ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, vel dignitate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de Latere Legatos, Vice Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et potestate, ubique iudicari et definiri debere et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane Decernimus.

Quo circa Venerabili quoque Fratri Nostro Egidio Mauri hodierno Reatino Episcopo per has presentes committimus et mandamus quatenus Ipse ad exequutionem praemissorum omnium et singulorum procedat, necessarias et opportunas ei impertiendo fa-

cultates quibus is ad hoc opus explendum aliquam idoneam probamque personam in Ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare valeat, ita tamen ut ipse Egidius Episcopus eiusve subdelegatus possit atque satagat ea cuncta inquirere praecipere, ordinare atque etiam (omni prorsus appellatione remota ac perempta) definitive decernere quae dignoverit quomodocumque oportere vel satius expedire ut hoc totum negotium ad optatum exitum feliciter perducatur.

Non obstantibus quibusvis etiam in Synodalibus provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis, specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis dictaeque Episcopalis Ecclesiae Aquilanae etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut etiam sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis etiam motu scientia et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis approbatis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret (tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in-

illis tradita observata inserti forent) praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes illis alia in suo robore permansuris latissime et plenissime ac specialiter et expressa ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum hac vice dumtaxat motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod dictus Egidius Episcopus vel eius subdelegatus infra tres menses ab expleta presentium litterarum Apostolicarum exequutione, authenticum exemplar quorumcumque decretorum in huiusmodi exequutione latorum, ut ea etiam in Archivio Congregationis eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus Consistorialibus prepositae ad posteram quamlibet opportunitatem perpetuo conserventur, transmittere omnino teneatur.

Volumus etiam, quod earumdem praesentium litterarum Apostolicarum tramsumptis, etiam impressis manu tamen alicuius publici Notarii subscriptis et sigillo alicuius personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, extinctionis, abolitionis, dissolutionis, soppressionis, evectionis, elationis, erectionis, constitutionis, facultatis impartitionis, concessionis, mandati decreti assignationis, praecepti, confirmationis, statuti, indulti, derogationis, et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octigentesimo septuagesimo quinto Decimo quarto Kalendas Februarii Pontificatus Nostri anno Trigesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS A DIOECESI VITTSBVRGENSI
IN FOEDERATIS AMERICAE SEPTENTRIONALIBVS
STATIBVS PARS DISTRAHITVR
ET IN NOVAM EPISCOPALEM SEDEM ERIGITVR

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quod Venerabiles Fratres Archiepiscopus et Episcopi Ecclesiasticae Provinciae Philadelphiensis in foederatis Statibus Americae Septentrionalis enixis Nos precibus orarunt, ut Vittsburgensem Dioecesim latissime patentem, quo ecclesiastico regimini et fidelium per ea loca degentium necessitatibus satius expeditiusque occurratur, in duas dividere, et novam ita Episcopalem Sedem erigere dignaremur, illud ut mature praestemus Nos admonet Summi Apostolatus munus, quod immeriti licet obimus. Re igitur cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis communicata, et omnibus rationum momentis sedulo attenteque perpensis, quod Religioni Nostrae SSmae et Rei Christianae benevertat, de memoratorum Venerabilium Fratrum consilio, haec, quae infra scripta

sunt Apostolica Nostra Auctoritate decernimus. Distrahimus ab Dioecesi Vittsburgensi tractus, Comitatus vulgo dictus HUNTIMPTON; BLAIR, BEDFORD; CAMBRIA; INDIANA, WESTMORLAND; BVTLER; ARMSTRONG; una cum ea parte Comitatus ALLEGHENY, quae continet Civitatem Alleghenensem et oppidum SHARPSBURG quae pars a ripa fluminis ALLEGHENY incipit, et recta linea Comitatum BVTLER attingit. Ex hisce tractibus seu Comitatibus e Vittsburgensi dioecesi seiunctis, novam Episcopalem Sedem efformamus, proprio Antistiti committendam, quae Episcopalem suam sedem habeat in Civitate ALLEGHENY, ubi sita est Ecclesia pro Cathedrali assumenda, a praedicta Civitate Alleghenensis nominetur; sitque suffraganea Metropolitae Philadelphiensis. Volumus porro ut nova huiusmodi Alleghenensis ecclesia singulis et universis iuribus, privilegiis, praerogativis et honoribus gaudeat, quibus aliae Episcopales Ecclesiae fruuntur. Haec statuimus, volumus, edicimus, decernentes praesentes Nostras Literas firmas fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices, Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancelleriae Apostolicae Regula de iure

quaesito non tollendo, Benedicti XIV. Praedecessoris Nostri recol: mem: super divisione Matrimoniorum aliisque Apostolicis ac in Universalibus, Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XI Ianuarii MDCCCLXXVI Pontificatus Nostri Anno XXX.

F. Card. Asquinius.

LITTERAE APOSTOLICAE

DILECTO FILIO EMMANVELI DERVISCI
PRESBITERO VINDOBONENSI
INSTITVTI MONACHORVM MECHITARISTARVM

PIVS PP. IX.

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Honorificis titulis dignitatibus, externisque insignibus, utpote quae ad conciliandam vel magis reverentiam, et obsequium faciant, Romani Pontifices Praedecessores Nostri honestare consueverunt ecclesiasticos viros, qui pietate, doctrina, ac virtutibus conspicui, hac honoris accessione uberiores, lectiores-que in agro Domini excolendo fructus producere possent. Hac sane mente precibus Nobis a Venerabili Fratre Iacobo Bolagi Archiepiscopo Caesariensi in Palaestina, Summo Magistro, seu Abbati Generali Monachorum Mechitaristarum Vindobonae admotis, votoque Venerabilis Fratris Antonii Petri IX. Patriarchae Armeni Ciliciae roboratis annuendum censuimus, quibus postulatur ut Abbatis titulum, insigniaque tibi deferre velimus. Te igitur, dilecte fili, qui hactenus Constantinopolitanam Monachorum praefati

instituti domum moderatus es, quique a supradictis Sacrorum Antistitibus propter tuas laudes commendaris, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis excomunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, Apostolica Auctoritate Nostra harum Litterarum vi, Abbatis titulo, atque insignibus te, dilecte fili, honoris causa dumtaxat, decoramus, augemus, tibique concedimus ut huiusmodi titulo, et insignibus libere, liciteque uti, servatis servandis, queas. Te autem hoc honore auctum, confidimus in Domino omni cura, et studio curaturum ut tu, tuique instituti Monachi a novo Armenorum schismate omnino abhorrentes, propter charitatem Christi devios et aberrantes fratres ad unitatem Ecclesiae revocare, et fideles propter iustitiam patientes persecutionem pro viribus tueri, ut in fide confirmare contendatis. Oramus denique, ut tua et Monachorum eiusdem instituti tui charitas magis, ac magis abundet in omni scientia et in omni sensu ut probetis potiora ut sitis sinceri et sine offensa in diem Christi repleti fructus iustitiae per Iesum Christum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXI. Ianuarii MDCCCLXXVI. Pontificatus Nostris Anno 30.

F. C. Asqvinivs

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ECCLESIA SANCTI ANDREAE IN CIVITATE SVBLACI CATHEDRALIS EIVSDEM CIVITATIS DECLARATVR

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Interest Ecclesiae germina praecidere quaestionum, earum maxime, quae in Divini cultus detrimentum vergant ac inter Clerum discordiam pariant. Cum itaque dilectus Filius Noster Raphael titulo S. Crucis in Hierusalem S. E. R. Presbyter Cardinalis Monaco ac Clerus Populusque Abbatiae Sublacensis, quam Nobis regendam assumpsimus et reservavimus Literis datis Decimo tertio Kalendas Aprilis Anni Domini millesimi octingentesimi septuagesimi secundi, cuiusque administrationem commisimus praefato filio Nostro Raphaeli Monaco, postulaverit definiri seu potius declarari, an revera insignis Ecclesia S. Andreae in principe civitatis loco sita ac insigne eiusdem Capitulum uti Ecclesiae Cathedralis sive loco Cathedralis pro abbatibus commendatariis nullius dioecesis Sublacensis haberi debeant, ac de facto retineri

pro quovis iuris effectu, Nos huiusmodi postulationibus inclinati re mature perpensa animadvertimus, quod, etsi ecclesia Sanctae Scholasticae a civitate per duo fere milliaria dissita quamdam praeseferat honoris praeminentiam, uti vetus Abbatis regularis Sedes, et quamvis Abbates Commendatarii privatam quamdam possessionem in ea capere consueverint, et sive in publicis Actis, sive etiam in Literis Apostolicis Abbates nuncupentur SS. Benedicti et Scholasticae ad conservandam primaevae erectionis Abbatiae memoriam; praerogativae tamen, qualitates et requisita, quae propius Ecclesiae Cathedrali seu loco Cathedralis constitutae conveniunt, favore Ecclesiae praefatae Sancti Andreae eiusque insignis Capituli plene confluunt et demonstrantur. Enimvero id primum occurrit a fel. rec. Urbano VIII. Praedecessore Nostro Abbatiam Saecularem iam a Leone PP. X. pariter praedecessore Nostro separatam et distinctam a Regulari, recognitam fuisse vere nullius dioecesis, iurisdictione quasi Episcopali Abbatibus commendatariis attributa, indeque iam ab eo tempore eosdem Abbates Commendatarios in eadem S. Andreae Ecclesia propriam quasi Episcopalem Cathedram fixam statuisse, et iugiter retinuisse ac retinere et Vicarios generales pariter propriam in Choro Sedem et Stallum inibi habere cepisse. Constat pariter in ea Abbates Commendatarios noviter deputatos de Universa Abbatia solemnem semper possessionem nactos fuisse, praestito formaliter a Capitulo et Clero obedientiae obsequio, ac functiones omnes Episcopales cum universi Capituli et Cleri adsistentia constanter absque

ulla intermissione explesse, cuiusmodi praesertim sunt Sacrae Ordinationes ac Sacramenti Confirmationis administratio, Sacri olei benedictio, quod in ipsa Ecclesia asservatur, ac ab ea cunctis tam saecularibus, qua regularibus Ecclesiis distribuitur, ac demum pastoralis visitationis solemnis aperitio. Accedit quod publicae omnes supplicationes et generales processiones queis interest Clerus Saecularis, quam regularis ordinatae a Capitulo praefatae Ecclesiae ab ea inchoantur et ad eam terminantur; quod ab eadem in Sabatho maioris hebdomadae campanarum pulsatio initium ducat, et ducere debeat ex decreto S. Visitationis Anni Domini MDCCXLIV et quod eidem adnexum prostet Clericorum Seminarium, qui in divinis officiis inibi explendis iugiter interfuerunt ac interesse tenentur et quod in eiusdem templi sacrario Abbatum Commendatariorum Stegmata ac effigies per non interruptam seriem dispositae asservantur, quae a quovis vix electo Abbate Commendatario ad eam, minime vero ad alias ecclesias, transmitti consueverunt. Compertum denique pariter est Capitulum et Canonicos memoratae Ecclesiae, ceu senatum Abbatis Commendatarii perpetuo se gessisse, ea omnia praestando, quae Cathedrales Canonici praestare debent ac solent; scilicet nedum praedictis, sed et aliis quibuscumque pontificalibus functionibus per Abbates Commendatarios absolutis exclusive et formaliter adsistendo, sive officium examinatorum pro-Synodalium et deputatorum seminarii explendo, sive in gravioribus negociis consilium et operam exhibendo, sive consensum formaliter et

capitulariter praebendo quoties in electione examinatorum pro-Synodalium vel in bonorum Ecclesiae alienationibus vel aliis similibus Capituli consensus a S. Sede fuerit requisitus. His igitur ac ceteris, quae perpendenda erant, perpensis ac inspectis, definimus ac declaramus Ecclesiam S. Andreae in Civitate Sublaci fuisse et esse Ecclesiam Cathedralem, seu loco Cathedralis Cardinalis Abbatis Commendatarii nullius dioecesis Sublaquensis, et quatenus opus sit eam Cathedralem, seu loco Cathedralis ponimus et constituimus, et uti talem ab omnibus habendam esse praecipimus. Adeoque Capitulum eiusdem Ecclesiae fuisse pariter et esse Capitulum Ecclesiae Cathedralis, seu loco Cathedralis, cui proinde omnia iura competunt, quae de iure vel consuetudine Capitulis Ecclesiarum Cathedralium vel loco Cathedralium tributa noscuntur. Per hanc autem Nostrae Constitutionis paginam non intendimus aliquid immutare quoad titulum Abbatis Commendatarii nullius dioecesis Sublacensis, qui et in futurum vocabitur Abbas Commendatarius SS. Benedicti et Scholasticae nullius dioecesis Sublacensis ad perennandam memoriam primaevae erectionis Abbatiae; nec pariter intendimus ullum inferre praeiudicium iuribus honorificis vel aliis huiusmodi eorumdem Monasteriorum, quae sicuti antea illaesa manere volumus. Nobis denique et successoribus Nostris Abbatiali Sede vacante, electionem seu nominationem reservamus Vicarii Capitularis Vicarii Apostolici nuncupandi prout anteacto tempore ex speciali dispositione iugiter observatum fuit. Decernentes

has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores et S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, vice-delegatos, dictaeque S. Sedis Nuntios, sublata eis quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari ac definiri debere; ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo ac fel. rec. Benedicti XIV Praedecessoris Nostri ceterisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, aliisque licet speciali atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die XXVIII Ianuarii MDCCCLXXVI Pontificatus Nostri Anno trigesimo.

F. Card. Asqvinivs.

DECRETVM CONCISTORIALE

GVASTALLENSIS ET PARMENSIS

DISMEMBRATIONIS LOCORVM VVLGATIM SORBOLO A MATTINO EORVMQVE INCORPORATIONIS DIOECESI PARMENSI

In comperto quidem est quod usque ad annum 1852 omnes quotquot erant incolae quorumdam locorum quae vernacule hactenus nuncupantur partim *sorbolo a mattino*, partim *sorbolo a sera*, unam insimul conficiebant paroeciam SS. Martyrum Faustini et Iuvitae, in Parmensi Dioecesi omnino comprehensam Sed enim eo labente anno, instanter habita peculiarium circumstantiarum finitimitarum tunc temporis aliquatenus concinna suadentium ratione; Summus Dei gratia Pontifex Pius Nonus animum adduxit suum, ut tantummodo incolae praefati *sorboli a mattino* inde per *Aplicam Bullam* separarentur et Enzolae paraeciae adiicerentur: subinde vero fieri contigit ut alteri (Guastallensem intra Diaecesim) paraeciae quam italice appellant *Lentigione*, uniformiter adiungeretur.

Iam vero incolae ipsiusmet *Sorboli a mattino* impulsi potissimum ex deteriorum incommodorum gravamine, atque ex detrimentosa etiam in spiritualibus quandoque perpessa experientia, nuper, lubentem nacti consentionem tum hodiernorum Praesulum Ecclesiarum Parmensis et Guastallensis, tum actualis Rectoris parocciae Lentigioniae, curarunt quam enixas eidem Summo Pontifici humiliter, eoque fidentius offerre supplicationes implorandi gratia, ut Sanctitas Sua velit benigne concedere peroptatam et opportunam eorumdem reversionem ad pristinam SS. Martyrum Faustini et Iuvitae parocciae, sic utique ut antea in omnibus et per omnia observanter constitutam.

Ideo profecto ipsimet incolae oratores pro suarum animarum cura et pabulo spirituali ad aeternam praesertim in extremis, tuendam assequendamque salutem; id praeter alia quam opportune reparandum perhibent atque contestantur, quod nempe propter perincomodam (hibernis praecipue temporibus) distantiam parochialis Ecclesiae Lentigioniae pauci nimirum ex utriusque sexus tum adolescentibus, tum senescentibus, tum cuicunque valetudinis fragilitati obnoxii, ordinarie patiuntur illuc se deferre ad divinarum rerum cultum festis diebus, uti par est, exercendum, et ad christiana quaeque rudimenta suscipienda. Quodque gravius est maximeque deplorandum, evenit ut illarum disparatarum domorum incolae dum aegrotant, soleant diutius praestolari salutaria distantis Parochi monita et confortantia pietatis catholicaeque fidei solamina: morte

autem instante, aliquando accidit ut aliquis ab eo absente inaniter desideraverit extremorum quoque sacramentorum administrationem.

Propter haec potissimum permota est Sanctitas Sua et dehinc eo quo flagrat solandarum et iuvandarum animarum zelo paternaque caritate, dignum censuit supra memoratas eiusmodi supplicationes impenso efficacique prosequi favore, me infrascripto Segretario referente.

Hisce igitur atque aliis, quae congruenter animadvertenda erant matura deliberatione perpensis, neque contrariis quibuscumque (speciali quamtumvis mentione dignis) nullatenus obstantibus, vel eis ad hoc dumtaxat opus illata peculiari derogatione, ipsemet Summus Pontifex Pius IX ex certa scientia, motuque veluti proprio, deque Apostolicae Suae potestatis plenitudine, deliberate in decretis haec, quae sequutur, mandavit firmiterque sancivit.

I.

Omnia et singula videlicet loca praenominati *Sorboli a mattino* una quidem cum quibusque suis habitatoribus, unaque cum insitis sive Ecclesiis, sive Sacellis, sive Oratoriis, sive piis ecclesiasticis cuiuscumque generis institutis et pertinentibus quibuslibet bonis, rebus, iuribus, unaque demum cum omnibus et singulis adnexis et sive de natura sive de more concomitantibus accessoriis, ea porro cuncta penitus eximantur ab ordinaria Guastallensis Episcopi administratione atque iurisdictione tum autem

ab eius Dioecesi separatim retrahantur, penitusque dismembrentur.

II.

At protinus ipsa item omnia et singula sursum attribuantur planeque incorporentur finitimae Dioecesi Parmensi eiusque antistitis ordinarii, iurisdictioni obtemperatura subiiciantur.

III.

Enimvero eiusdem *Sorboli* accolae, una videlicet cum suis circumsitis terris et concomitantibus iisdem accessoriis quibuscumque, rursum adiiciantur et coalescant suae pristinae paroeciae SS. Martyrum Faustini et Iovitae; ideo profecto ut earum sic congregatarum animarum cura pariformiter in omnibus et per omnia, prouti ante, peragatur atque rite adimpleatur ab ordinario eiusdem paroeciae Rectore; sarta quidem tectaque lege, ut mutuo inter ipsum Parochum ipsosque Parocchianos tum onera et officia, tum singula munia praestationesque tum de iure quam de legitima consuetudine pertinentia, omnino satisfiant.

IV.

Porro ut eadem omnia et singula, quae in hoc summario Decreto exposita et praescripta sunt, omnimodam praeseferant fidem, sanationemque so-

lemniorem, qua firmius robur sibi vindicent perpetuoque tueantur; Summus idem Pontifex maluit declarare atque praecipere, ut hoc ipsum Decretum omnino habendum observandumque sit perinde ac si esset in Litteris Apostolicis sive in forma brevis sive solemniter sub plumbo relatum.

V.

Itaque in Apostolicum huiusmodi Decreti exequutorem dignatus est deligere atque deputare R. P. D. Iosephum Mariam Guidelli e comitibus Guidi, hodiernum Ecclesiae Metropolitanae Mutinensis antistitem, concessa utique venia subdelegandi ad hoc perficiendum negotium aliam idoneam probamque personam quae vero ecclesiastica dignitate comperiatur iam insignita.

VI.

Propterea ipsi Delegato sive subdelegato contulit utique facultates quascumque necessarias et opportunas, ut eorum alteruter valeat ea quaeque disquirere, ordinare, facere, decernere omnique appellatione remota definitive pronuntiare super quacumque, si forsan exoriatur, vel provocetur, quaestione; ideo profecto ut totum hoc negotium ad optatum exitum feliciter perducatur.

VII.

Eidem verumtamen Delegato ipsiusve subdelegato iniunctam voluit obligationem mittendi quam diligenter ad Sanctam hanc Sedem, tres circa menses ab expleta huiusce summarii Decreti exequutione, authenticum exemplar quarumcumque deliberationum atque Decretorum super ipso negotio definitive, sicuti oportuerit ferendorum, ut porro huiusmodi etiam exemplar de more inter acta huiusce S. Congregationis Consistorialis ad perpetuam rei memoriam et observantiam hic etiam conservetur.

Datum Romae hac die 18 Februarii anno Domini Nostri Iesu Christi 1876.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO

S. R. E. CARDINALI

JOANNI IGNATIO MORENO ARCHIEPISCOPO TOLETANO

ET EIVS SUFFRAGANEIS

PIVS PP. IX

Perlatae sunt ad Nos litterae vestrae quibus adiectum erat exemplum typis impressum expositionis seu postulationis quam exarastis pro defensione unitatis catholici cultus in isto Regno, et ad suprema eiusdem Regni consilia obtulistis. Libenter admodum perlegimus tum praedictas litteras, tum egregium documentum a Vobis vulgatum, plenum sacerdotalis animi zelo, ac sapientibus gravibus et nobilibus sensibus quales decent eos qui iustam et sanctam causam tuentur, et cum consolatione vidimus vos dignum pastorali ministerio vestro officium erga veritatem, religionem ac patriam animose praestitisse. Qua in re facere non possumus quin debitas laudes vobis, atque adeo universae isti catholicae nationi tribuamus, quae suam in religione unitatem ita sese cordi habere ostendi, ut in idem studium eius unitatis

conservandae aliarum etiam dioecesium et Provinciarum Episcopi et Clerus nec non primarii cives, nobiles matronae aliique fideles ex omni ordine tum suis postulationibus ad Reipublicae moderatores exhibitis, tum fervidis precibus apud Deum publice et privatim effusis communi zelo conspirarint. Haec autem praeclara omnium vestrum sollicitudo studiis curisque nostris apprime respondet, qui non aliud vehementius cupimus quam ut ne funestum discissae religiosae unitatis malum inter vos invehatur; et in hunc finem operam omnem et officia nostra penes eos apud quos oportebat pro ratione muneris nostri studiose conferre non praetermisimus. Nam ab eo tempore quo annuentes iteratis postulationibus quae ab isto Gubernio ad Nos delatae fuerant, Nuntium nostrum ad matritensem civitatem misimus, eidem Nuntio in mandatis dedimus, ut modis omnibus apud Reipublicae administratores et serenissimum regem Catholicum ageret, ut damna Ecclesiae Hispanicae illata turbulentis civilium conversionum temporibus plene repararentur, atque ea quae statuta fuerant in conventione inita anno 1851 et in pactis deinde adiectis, executioni fideliter mandarentur. Et quoniam in Constitutione edita anno 1869, libertate cultuum pubblice sancita, gravissima iniuria Ecclesiae in isto regno, et praedictae conventioni quae vim legis habebat, fuerat irrogata, Nuntius noster ubi suam ad Sedem pervenit, confestim eo curas et studia convertit ex mandatis acceptis, ut sua vis eidem conventioni plene restitueretur, novitates quaslibet omnino reiiciens circa res in ea conventione statutas,

quae in religiosae unitatis detrimentum cederent. Eodem tempore Nos ipsi muneris nostri esse putavimus ut litteris ad Regem Catholicum datis sensus nostros in hac re eidem declararemus. Porro cum in ephemeridibus Hispanicis forma et exemplar novae Constitutionis Supremorum Regni Ordinum examini subiiciendae vulgatum fuisset, cuius undecimum caput ad libertatem seu tolerantiam acatholicorum cultuum lege sanciendam spectat, de ea re statim voluimus a Cardinali Nostro a Secretis Status cum Legato Hispanicae Nationis apud Sanctam hanc Sedem agi, eique documento tradito, quod pertinet ad diem 13 Augusti anno 1875, iustas nostrarum expostulationum causas declarari, quas contra praedictum caput ius et officium a Nobis exigebat. Has easdem declarationes ea occasione editas Sancta haec Sedes deinde iteravit in ea scilicet responsione quam nonnullis animadversionibus a Gubernio Hispanico in rem suam praepositis deberi iudicavit, neque hoc ipsum agere destitit in Matritensi civitate Nuntius noster apud Ministrum Status, ab eo postulans in colloquiis cum ipso habitis ut reclamationes suae in publicis ministerii eius actis ab illo insererentur. Sed haec omnia, que egimus tum per Nos ipsos tum per Cardinalem Nostrum a Secretis Status, nec non per Matritensem Nuntium optato exitu caruisse adhuc vehementissime dolemus.

Iam vero ad funestum memoratae tolerantiae malum a Patria vestra avertendum iure ac merito Vos, dilecte Fili Noster et Ven. Fratres, vestrum ze-

lum explicuistis, vestras reclamationes et expostulationes adhibuisti. His reclamationibus, aliisque quae ab Episcopis et maxima parte Hispaniae Fidelium prodierunt, nostras etiam hac occasione iterum adiungimus, ac declaramus supradicto capite legis regni, quae roganda est, quo tolerantiae cuiusque acatholici cultus publicis iuris vis et potestas tribui intenditur, quaecumque sit verborum forma qua proponatur, omnino laedi catholicae Veritatis et Religionis iura, Sanctae huius Sedis Conventionem cum Hispanico Gubernio initam contra omne ius abrogari in ea parte, quae potior et pretiosior est, gravi facinore ipsam obligari rempublicam, ac recluso errori aditu catholicae Religioni oppugnandae viam muniri, funestorumque malorum materiam comparari in damnum illustris istius Nationis, catholicae religionis studiosissimae, quae dum libertatem seu tolerantiam praedictam respuit, omni ope et viribus omnibus postulat ut tradita sibi a Maioribus religionis unitas quae cum suae historiae monumentis, cum suis moribus cum patria gloria arctissime coniuncta est incolumis et inviolata servetur. Hanc declarationem nostram per Vos, dilecte Fili noster et Venn. Fratres, omnibus notam fieri mandamus, ac cupimus persuasum esse omnibus Hispaniae Fidelibus, Nos omnino paratos esse catholicae Religionis causam et iura apud vos, et una Vobiscum omnibus mediis quae sunt in nostra potestate tueri. Rogamus autem ex corde Omnipotentem Deum ut iis qui sortes istius Nationis dirigunt salutaria consilia inspiret, et potens gratiae auxilium

adiiciat, quo eas cum gloria virtutis suae et cum salute ac prosperitate istius regni feliciter implere possint. In hunc eumdem finem et Vos, Dilecte Fili Noster ac Venn. Fratres, vestras apud Deum preces ut facitis, constanter ac fervide effundere pergite ac accipite Apostolicam Benedictionem, quam tum Vobis tum gregibus curae vestrae concreditis, tum universis Hispanici Regni Fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 4 Martii anno 1876.

Pontificatus Nostri anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

AD VEN. FRATREM
JOSEPHUM ARCHIEPISCOPUM LEOPOLIENSEM
HALICIENSEM ET CAMENECIENSEM RVTHENORVM
QVA CHRISTI FIDELIVM SVAE CVRAE COMMISSORVM
IN CATHOLICA FIDE CONSTANTIAM LAVDAT

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pervenerunt ad Nos, una cum tua epistola die 22 elapsi Decembris data, litterae quas plenas filiali affectu et pietate erga Nos et Sanctam hanc Sedem Capitulares istius Archidioeceseos Leopolien. Provinciales Ordinis S. Basilii M., Superiores utriusque tui Seminarii cum alumnis, Doctores et Professores Sacrae Theologiae in ista universitate, Rector Rutheni Gymnasii, Catechistae ad scholas pubblicas, Commissarii Ordinariatus, Decani et Clerus Curatus cum aliis Fidelibus ad Nos per tuam interventionem mittere voluerunt. In gravi amaritudine qua affecti sumus ob miseram defectionem ad Orientale schisma dioecesis Ruthenae graeco-catholicae Chelmensis,

nihil nobis gratius esse potuit quam optimi et nobiles sensus quos praedicti omnes in suis litteris expresserunt, declarantes Nobis intimum dolorem suum ex nefaria illa apostasia susceptum, et profitentes nihil sibi potius et antiquius esse quam ut, Deo auxiliante, una cum fideli populo in Ecclesiae Catholicae fide et in communione cum hac Apostolica Sede stabiles et immoti usque ad extremum spiritum permaneant, et de iis maximis ac salutaribus bonis participent quae in vera Christi Ecclesia et in Catholica unitate inveniuntur. Facere non possumus Ven. Frater quin hanc eximiam voluntatem quae magnam Nobis consolationem attulit impensissime in Domino commendemus, et gratiam agamus Deo de eorum Fidei firmitate et eorum professionis concordia, quae in magnam ipsorum laudem cedit, et super ipsos divinae benignitatis largitatem conciliat. Quo magis autem eorum declarationes Nobis iucundae extiterunt, et quo maior est temporum atque hominum perversitas eo maiori studio praedictos dilectos Filios hortamur ut sese constanter ac Fideliter bonos ministros Christi Iesu, enutritos verbis Fidei et bonae doctrinae quam assecuti sunt, ostendant, ac ad salutem Fidelis populi suum zelum diligenter adhibeant, quo olim probatio eorum Fidei multo pretiosior auro quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi. Dum vero nos miserrimam desertorum Catholicae unitatis sortem deploramus, qui in suam perniciem impia consilia inierunt, minime cogitantes: *nihil prodesse homini*

si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, vehementer cupimus ut Tu, Ven. Frater, una cum tuo Clero et Fidelibus preces vestras Nostris adiiciatis, a Deo enixe rogantes ut rebelles Ecclesiae Filios ad poenitentiam adducat et vos propitius semper sua gratia confortet, ut praesidio, consolationi et gloriae in ista regione Ecclesiae Dei esse feliciter valeatis. Tibi autem committentes Ven. Frater ut omnibus dilectis Filiis qui ad Nos scripserunt nostra haec sensa communices, Apostolicam Benedictionem in auspicium omnis caelestis auxilii et omnium gratiarum, Tibi ac praedictis omnibus in communione huius Apostolicae Sedis manentibus, cunctisque Fidelibus tuae causae concreditis, peramanter et toto cordis affectu impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 8 Martii 1876. Pontificatus Nostri anno Tricesimo.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VEN. FRATER LEO MEVRIN
VISITATOR APOSTOLICVS
IN MALABARIAM SYRORUM RENVNTIATUR.

PIVS PP. IX

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Oportet Romanum Pontificem, cuius instantia quotidiana est sollicitudo omnium Ecclesiarum, non solum ad eas regendas Episcopos mittere, verum etiam si quandoque speciali praesidio ac tutela Apostolicae auctoritatis indigere videantur, eas visitare per idoneos viros ab ipso delegatos, qui videant, num cuncta prospera sint apud fratres suos, et de earum statu ac necessitatibus Apostolicae Sedi fideliter et cumulate referant. Iam vero inter Ecclesias, quas peculiari cura et charitate prosequuti sunt Praedecessores Nostri, merito accensenda est Malabarensis

quae utriusque ritus fideles, latini videlicet et Syriaci, complectitur. Etenim postquam, urgentes in primis Clemente VIII rec. me. praedecessore Nostro, ac strenue adlaborante Alexio de Menezes Archiepiscopo dum viveret Goano, a Nestoriana haeresi ad catholicae fidei veritatem revocati fuissent, primum Angamalensem Sedem idem Clemens Pontifex apud illos erexit, quae deinde Archiepiscopali titulo ad Cranganorensem civitatem translata est: eosque postea, ita rerum exigentibus adiunctis, Romani Pontifices per Vicarios Apostolicos gubernarunt et gubernant. Porro non semel haereticorum versutia, nec non ambitus Chaldaeorum Mauxiliensium perturbarunt fideles illos; eosque vix respirantes a malis illuc illatis ante annos duodecim per Episcopum Thomam Rokos, nunc iterum conturbat alius Episcopus Chaldaeus Elias Mellus, cui demum accessit quidam Monachus item Chaldaeus nomine Philippus, nuper temere et sacrilege episcopali charactere auctus; qui ambo nomine et auctoritate Nostra iam solemniter excommunicati fuerunt. Multi autem, maxime vero rudis ac simplicior populus gravibus insidiis circumventi sunt, iisque illuditur ab hisce intrusis; qui ad incautos decipiendos adeo non erubescunt uti fraudibus et mendaciis, ut etiam Apostolicas Nostras Litteras comminisci et fraudolenter in vulgus efferre non reformidaverint. Hinc factum est, ut etiam Catholici, dum ab Apostolicae huius Sedis communione et obedientia nullo pacto divelli volunt, et intrusis viriliter resistunt, in veram perturbationem et ipsi inciderint propter varias non-

nullorum sententias; ex quarum varietate animorum quoque dissidium posset oriri, adnitente humani generis inimico, qui eos primum dissociare nititur, quos perdere meditatur.

Nos itaque volentes hisce malis medicam afferre manum antequam ingravescant, necessarium duximus praesentem rerum statum accuratius cognoscere, adhibito etiam, ne cui fiat iniuria, extraordinario Apostolicae Visitationis remedio, quo in similibus Praedecessores Nostri uti consueverunt. Quapropter Tibi, Venerabilis Frater, de cuius fide, circumspectione et solertia multum in Domino confidimus, auctoritate Nostra Apostolica munus committimus visitandi Syriaci ritus fideles sive in vicariatu Verapolitano, sive in finimitis regionibus degentes, salva tamen et integra manente dignitate ac iurisdictione Ordinariorum, in quorum potestate sunt. Tibique mandamus, ut, omnibus rite inspectis et consideratis, cuncta Nobis accuratissime referas, ut illud consilium inire possimus, quod in veram Malabarensis Ecclesiae utilitatem cessurum, et ad pacem tranquillitatemque restituendam opportunius iudicavimus.

Hac autem oblata occasione te usurum pro certo habemus, ut eos qui Episcopo Mellus aliisque intrusis sive episcopis, sive presbyteris Chaldaeis contra Nostra mandata infeliciter adhaeserunt, revocare contendas ad catholicam unitatem. Quamobrem facultatem tibi impertimus, iam a Nobis concessam Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Goano et Vicario Apostolico Verapolitano quoad suos re-

spective subditos, absolvendi a reatu, censuris et poenis fideles atque etiam ecclesiasticos viros, qui deserentes suos legitimos Praesules, memoratis Chaldaeis sese dedirerunt, dummodo vere poenitentes adhaesionem suam formaliter retractent, et scandalum fidelibus illatum, prout debent, sarcire studeant. Hac tamen facultate uti non poteris erga eos, qui episcopali charactere quacumque demum ratione sunt insigniti; neque erga illos, qui ab intrusis Episcopis ad sacerdotium, vel ad alios quoslibet ecclesiasticos Ordines promoti fuerint; quorum omnium absolutionem Nobis tantum, extra mortis articulum, reservatam esse volumus.

Non dubitamus, quin praedicti Venerabiles Fratres Archiepiscopus Goanus et Vicarius Verapolitanus, nec non clerus omnis et populus, praesertim Syriaci, ritus, te debito honore sint excepturi. Universos autem monemus, qui catholicam fidem non verbis tantum profiteri, sed et factis comprobare volunt, ut idipsum sapiant in Christo neque sint inter eos aemulationes et disputationes neque contentiones. Nos enim omnes pari charitate prosequentes in Christo Iesu, apud quem non est acceptio personarum, nec distinctio Iudaei et Graeci, omnimodam de iis sollicitudinem habemus; et pro gravi munere Nobis commisso aeternae saluti universi Christi gregis prospiciendi, illud unum satagimus omnique conatu assequi contendimus, ut quoniam eorum Maiores singulari Dei beneficio iamdudum in catholicam Ecclesiam sunt cooptati, non sinant se divelli a firmissima Petra supra quam a Christo Deo Ec-

clesia ipsa aedificata est: qui enim illi Petrae non adhaeserit, similis erit viro stulto, qui aedificavit domum suam super arenam, et descendit pluvia, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. Ut autem universi sint in fide stabiles et in opere efficaces, Apostolicam benedictionem Tibi, Ven. Frater, et omnibus Malabarensis regionis Clericis et laicis, qui in communione et obedientia Apostolicae huius Sedis perseverant, peramanter impertimus.

Decernimus porro praesentes Nostras Literas firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab iis ad quos spectant, et spectaverint inviolabiliter observari, sicque irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo; Benedicti XIV Praedecessoris Nostri rec. me. super divisione Materiarum, aliisque Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus tandem, ut praesentium Literarum transumptis, manu dilecti filii Nostri Cardinalis Praefecti, et Secretarii Nostrae Congregationis Propagandae fidei praepositae subscriptis, atque huius sigillo munitis eadem prorsus

adhibeatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV Martii MDCCCLXXVI Pontificatus Nostri Anno XXX.

F. Card. Asqvinivs.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE IN CATHEDRALEM
ECCLESIAE SPIRITVI SANCTO DICATAE
NVPER CONSTANTINOPOLI CONDITAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Gratum Nobis est illis precibus, quantum in Domino possumus, obsecundare, quibus ea poscimur, quae Catholico nomini bene, prospere, ac feliciter evenient. Cum itaque Venerabilis Frater Antonius Maria Grasselli Archiepiscopus Colossensis, et Vicarius Patriarchalis Apostolicus Constantinopolitanus Nos oraverit, ut Ecclesiam sub invocatione Spiritus Sancti nuper in eadem Urbe aedificatam, ad Cathedralis Ecclesiae titulum, honoremque evehere, Auctoritate velimus Nostra; Nos precibus huiusmodi prompta voluntate obsequuti sumus. Quae cum ita sint singulos, atque universos, quibus Nostrae hae Literae favent, ab quibusvis excomunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia ab-

solventes, et absolutos fore censentes, Ecclesiam nuper Constantinopoli in honorem Sancti Spiritus extructam, tamquam Cathedralem haberi, per praesentes, Apostolica Nostra Auctoritate, volumus, mandamus, praecipimus, cum singulis quibusque iuribus, et privilegiis, quae Ecclesiarum Cathedralium sunt propria. Decernimus porro praesentes Nostras Litteras firmas validas et efficaces fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula, de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV. Praedeces. Nostri recol: me: Super divisione materiarum aliisque Apostolicis ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et ordinationibus, speciali licet, atque individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIV Martii MDCCCLXXVI.

F. Card. Asqvinivs

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI FELICI
EPISCOPO AVRELIANENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Gratulamur tibi, Ven. Frater, quod ingenium, eloquentiam, operositatem, dicendi vim a Domino largitus rursus in Ecclesiae defensionem adhibueris. Sic profecto confixisti nefariam de militari Cleri conscriptione legem, sic impium eius designasti propositum, sic iniquitatem ipsius non in sacra tantum sed in civilia nationis catholicae iura arguisti sic eam prorsus pugnantem ostendisti cum universarum gentium sententia ac scitis, sic denique adversam eamdem eorum etiam verae utilitati demonstrasti, qui illam tulerunt, ut merito affirmare potueris, confidere te, haec perspicua futura universis. Quid tamen inde? Si nobis etiam, uti iam Isaiae, imperatum fuisse videtur: *vade: et dices populo huic: audite audientes et nolite intelligere: et videte visionem, et nolite cognoscere. Excaeca cor populi*

huius et aures eius aggrava, et oculos eius claude, ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde intelligat et convertatur? Nemo certe eum potest corrigere quem Deus despexerit; ac prudenter idcirco in epistola tua addis, nequire te sperare futurum, ut qui nunc rebus italicis imperant et Romam occupant faciles argumentis tuis aures praebeant. Nec certe pronum est, te ab illis audiri, qui ne notissimo quidem commorentur fato decessorum, qui cum et ipsi, praeterito exeunte saeculo, simul convenissent in Gallia, ut delerent nomen Dei a terra; publica tandem re potiti, alii aliis, velut undae, pressi, omnes ferme ad patibulum acti fuerunt. Quidquid tamen de exitu futurum sit lucubrationis tuae, Deus certe videbit, non conticuisse speculatores Israel; fideles in certamine confirmabuntur ab eorum exemplo; et historia sceleribus et virtutibus debitam tributura exsecrationem vel laudem, nobilem eorum commendabit indignationem et constantiam, qui proprii memores officii, faciem illorum non formidarunt, a quibus opprimebantur. Feliciorem, quam tu ipse, Nos ominamur successum labori tuo; ac interim superni favoris auspicem praecipuaeque Nostrae benevolentiae pignus tibi, Venerabilis Frater, totique Dioecesi tuae Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 27 Martii 1876. Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

AD IVRIS DOCTOREM LEONEM ROVX

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI,

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Cum non mediocriter delectemur, Dilecte Fili, eo studio, quo quisque e fidelibus, pro sua conditione et modulo, quae ad religionis Ecclesiaeque iura pertinent asserere et tueri conatur; perlibenter excepimus commentarium a te, veluti iurisconsulto, editum de iure funerum adversus invectam *civilis* uti dicunt, *funeris* impietatem. Gratulamur autem te veram eius causam in vulgata nunc materialismi turpitudine statuisse; ipsamque pugnantem ostendisse cum sensu et moribus cuiusvis aetatis, omniumque gentium, ac plane adversam iuri non minus quam religiosae populi indoli. Utinam labor hic tuus vigentem foveat sacrilegi sceleris execrationem; rarioremque saltem faciat tantam honestorum offensionem. Decerta constanter, Dilecte Fili, pro iustitia, et interim excipe Benedictionem Aposto-

licam, quam tibi divini favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 27 Martii 1876. Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE RESTITVTIONE IN PROVINCIAM, FRANCISCALIVM IN CYRNAEA INSVLA COMMORANTIVM

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Expositum est Nobis florentem in Cyrnaea insula fratrum minorum Franciscalis ordinis provinciam, quae Seraphico Francisco Assisinate vivente initium habuisse dicitur publicis elapsi seculi perturbationibus deletam fuisse. Iuvante autem Deo renuntiatum est Nobis duo in eadem insula restitui potuisse coenobia, eademque ab anno MDCCCLV. in custodiam canonice erecta esse. Aucto deinde in praefata insula Coenobiorum numero quinque enim modo piarumque familiarum eleemosynis satis copiosa numerantur coenobia et duo hospitia, institutaque inibi receptionis ac tyrocinii studiorum domo, supplicatur Nobis a dilectis filiis Custode provinciali et definitoribus praedictae custodiae, ut in eadem insula Fratrum minorum S. Francisci Provinciam restituere de Apostolica auctoritate Nostra velimus. Nos, qui

religiosas familias catholicae Ecclesiae ornamenta ac praesidia tot tantisque cladibus hac temporum iniquitate afflictas singulari complectimur affectu, inclytae Franciscalium Minorum familiae peculiaris benevolentiae Nostrae testimonium exhibere volentes huiusmodi votis obsecundandum censuimus. Quare omnes et singulos, quibus hae Litterae Nostrae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Disciplinae Regularium tuendae praepositorum consilio, Venerabili Fratri Francisco Xaverio Andreae Episcopo Adiacensi opportunas et necessarias impertimus facultates, quibus ipse pro suo arbitrio et prudentia, dummodo narrata vera sint, supradictam Custodiam in pristinum Provinciae nomen et gradum cum omnibus iuribus, privilegiis, praerogativis exemptionibus, restituere ac redintegrare iuxta Apostolicas et Franciscalis Ordinis Constitutiones libere ac licite possit et valeat. In contrarium facientibus, quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXVIII Martii MDCCCLXXVI. Pontificatus Nostri An. XXVIII.

F. Card. Asquinius.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI PELAGIO
ARCHIEPISCOPO MEXICANO

PIVS PP. IX.

VENERABILI FRATRI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Numquam hactenus fortasse, Ven: Fr: tam perspicue Deus ostendere voluit ut in praesentiarum inimicis suis Divinam Ecclesiae suae soliditatem, curamque, quam eius gerit, praecipuam. Nunquam enim hactenus permisit, eodem tempore excitari ab ipsis undique eamdem insectationem, eadem ubique mente provehi, iisdemque urgeri ubique Iulianeis artibus cum violentia coniunctis, per subductionem nempe subsidiorum omnium, et per calumnias, despectum, disiectionem et oppressionem Cleri. Haec tamen omnia non modo non frangere, sed erigere potius animos debent et in fide confirmare; cum et certo sciamus, portas inferi non esse praevalituras, et videamus, per haec Deum sibi servasse custodiam Ecclesiae; eamque idcirco pro nobis stare intelligimus. Atqui si Deus pro Nobis, quis contra

Nos? Itaque summopere commendamus constantiam, qua tu et Venerabiles Fratres tui non sustinetis dumtaxat exitiosas religioni leges, sed immoti id viriliter agitis, ut animos addatis fidelibus ad coniungendas vires pro iustitia, et servato semper obsequio potestati debito, studiose consulendum religiosae rei, sive per sacrorum ministrorum sustentationem, sive per conservationem cultus, sive per rectam piamque pueritiae ac adolescentiae institutionem, sive demum per opera misericordiae. Profecto qui consilia vestra sequentur veros et praebebunt Christi milites, verumque patriae suae, iam catholica fide nobilissimae, praesidium; nec solam promerebuntur caelestem coronam, verum etiam ut, exacto difficillimae quidem, sed gloriosae probationis tempore virtutem ipsorum narrent populi et laudem eorum nuntiet Ecclesia. Merito illis, qui opem et operam adhibituri sunt muneribus adeo necessariis, bene precati estis tu et Venerabiles Fratres tui, merito in eorum utilitatem et incitamentum thesauros Ecclesiae aperuistis. Nos adhortationes vestras Nostris urgemus, Nos, una cum vobis, omnia caelestium gratiarum dona illis ominamur; et cuicumque cum aliis coeunti, iuxta mentem vestram, et operam vel opes conferenti, aut in Cleri sustentationem, aut in christianam iuventutis culturam, aut in reparationem templorum decusque divini cultus, aut demum in caritatis opera, praesentim erga aegrotos et egenos, pro qualibet pii exercitii vice tercentum indulgentiae dies concedimus, ac praeterea, servatis semper solitis conditionibus, plenariam semel pro

quolibet mense indulgentiam in die sive ab Ordinario decernendo, sive ab ipso committendo singulorum electioni lucrandam: quae omnes indulgentiae converti quoque valeant in suffragium animarum piaculari igne expiandarum. Utinam studia Nostra et vestra lucrumque spirituale propositum plurimos excitent et alliciant ad adversa quaevis pro Deo et propria aliorumque salute perferenda, et ad religionis custodiam et provectum omni nisu promovendum. Copiosa ad hoc universis auxilia caelitus adprecamur; ac interim divini favoris auspicem Nostraeque praecipuae benevolentiae pignus tibi: Ven. Fr., et omnibus sacris istius ecclesiasticae Mexicanae provinciae Pastoribus ac propriae uniuscuiusque Dioecesi universae Benedictionem Apostolicae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Martii 1876 Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

DE ERECTIONE IN ABATIAM PRIORATVS
SANCTI BENEDICTI IN REGIONE AMERICAE SEPTENTRIONALIS
KANSASAS EXISTENTIS.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quae Catholicae rei bene prospere et feliciter evenient ea pro summi Apostolatus munere quo fungimur prompta animi voluntate praestamus. Itaque simul ac accepimus supplices preces dilecti filii Bonifacii Vinmer Abbatis ac Praesidis Generalis Congregationis Americanae Cassinensis, quibus nomine Capituli Generalis mense augusto superioris anni habiti, poscebatur ut Prioratus Sancti Benedicti de Atchison in Vicariatu Apostolico dictionis, Thomas, ad Abbatiae gradum dignitatemque evehere benignitate dignaremur Nostra; Nos sedulo attenteque perpendentes memoratum Prioratum, sive ob numerum Religiosorum qui etiam de Catholica Religione optime meriti sunt sive ob reditus satis congruos, sive demum alias ob conditiones tuto posse Abbatiali auctoritate muniri; praeterea istiusmodi aucto-

ritatem plurimum posse ad Monasticam disciplinam tuendam: simul prae oculis habentes grave Ven. Fratris Ludovici Mariae Vicarii Apostolici ditionis, «Thansas» testimonium, precibus huiusmodi obsecundare quantum cum Domino possumus maturavimus. Quae cum ita sint, motu proprio, certa scientia, et matura, deliberatum Prioratum S. Benedicti de, Atchison in Vicariatu Apostolico ditionis « Thansas » existens, in Abbatiam haud exemptam, sive absque territorio nullius, Apostolica Nostra auctoritate, tenore praesentium erigimus et constituimus, eique singula et universa iura, privilegia ac praerogativas eadem Auctoritate per praesentes elargimur quae talium Abbatiarum sunt propriae. At enim volumus, mandamus, edicimus, ut Canonica Abatis electio fiat iuxta Constitutiones pro Congregatione Bavarica adprobatas ab Innocentio XI. Praedecessore Nostro recol: mem: per Apostolicas Litteras, quarum initium « Circumspecto » et « Militantis Ecclesiae » veluti aliis Apostolicis Litteris a nobis anno 1855. datis pro Congregatione Benedictina Americana praescriptum est. Abbati vero legittime electo, omnia iura ac privilegia competant, quae Abbatibus non exemptis per Constitutiones, de quibus habita ante mentio est, tribuuntur, servato, quod ad insignia et honores, decreto, quod Alexander VII praedecessor Noster felicis recordationis, hac de re, die 29. Septembris Anni 1659 edidit. Tandem decernimus praesentes Nostras Litteras firmas validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro

tempore quomodolibet spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices Ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. Ecclesiae Romanae Cardinales etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, necnon dicti Prioratus « de Atchison » etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 7 Aprilis 1876. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

F. Card. Asqvinivs

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS

EPISCOPIS BRASILIANAE REGIONIS

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Exortae in ista ditione superioribus annis perturbationes ex parte eorum, qui Massonicae Sectae addicti in piorum Christianorum Sodalitates irrepserunt, uti Vos, Ven. Fratres, in Dioecesibus praesertim Olindensi et Belemensi de Para in gravem adduxere conflictum; sic Nostro animo, ut scitis, molestae admodum et acerbae extiterunt. Non enim poteramus sine dolore respicere quod exitiosa illius sectae pestis ad corruptionem praedictarum Sodalitatum manasset, atque ita ea instituta, quae ad sincerum fidei et pietatis spiritum fovendum ordinata essent, superseminata funesta zizaniorum messe, in miseram conditionem essent prolapsa. Hinc Nos Apostolico Nostro munere admoniti, et paterna caritate impellente, qua istam Dominici gregis partem prosequimur, huic malo

occurrendum esse incunctanter existimavimus, ac litteris datis die 29 Maii anno 1873 ad Te, Ven. Frater Olindensis, nostras voces contra hanc deplorandam perversionem in Christianas Sodalitates invectam extulimus, ea tamen lenitatis et clementiae ratione erga deceptos et illusos Massonicae Sectae asseclas adhibita, ut ad congruum tempus reservationem censurarum in quas ipsi inciderant suspenderemus, in eum finem ut Nostra benignitate uterentur ad detestandos errores suos et ad damnatos quos iniverant coetus deserendos. Mandavimus insuper Tibi, Ven. Frater Olindensis, ut eo temporis spatio elapso nisi ipsi resipuissent, praedictas Sodalitates supprimeres ac suppressas declarares, easque novis sociis adscriptis ab omni Massonica labe immunibus, juxta suae originis rationem de integro restitueres. Praeterea cum Nos in encyclica epistola ad Catholici Orbis Episcopos data die 1 Novembris an. 1873 Fideles omnes adversus sectariorum artes et insidias pro munere Nostro munire studeremus, palam ea occasione Pontificias Constitutiones contra pravas societates sectariorum editas in memoriam fidelium revocavimus, atque ediximus in Constitutionibus non unos percelli Massonicos coetus in Europa constitutos, sed omnes quotquot in America aliisque totius orbis plagis habentur. Hinc Nos non potuimus non vehementer mirari, Ven. Fratres, quod cum auctoritate Nostra et consiliis errantium salutem spectantibus interdicta sublata essent, quibus in ista regione nonnullae Ecclesiae et Sodatitia ex Massonicis asseclis late

conflata subjecta fuerant, ex hoc occasio capta fuerit in vulgus disseminandi Massonicam societatem in istis plagis consistentem Apostolicarum damnationem exsortem esse, ac proinde eosdem sectarios tuto posse in piorum Christianorum Sodalitatibus partem habere. Sed quantum haec a veritate et a Nostri animi sententia aberrent, id aperte declarant tum ea acta quae superius memoravimus, tum epistola ipsa quam ad Serenissimum Imperatorem istius regionis scripsimus die 9 Februarii an. 1875 in qua dum interdictum quod nonnullas Ecclesias istarum Dioecesium afficiebat revocatum iri spondebamus, ubi Vos, Ven. Fratres, Parensis et Olindensis injusto carcere detenti, in libertatem essetis restituti, eam tamen reservationem et conditionem adjecimus, ut scilicet Massonici asseclae ab officiis quae in Sodalitiis gererent, summoverentur. Quae ratio providentiae Nostrae non aliud habuit, neque habere potuit propositum, nisi ut Imperatoris votis hac ex parte expletis, ac tranquillitate animorum revocata, opportunitatem Imperiali Gubernio praeberemus, pias sodatitates massonica labe depulsa in pristinum statum restituendi, ac efficiendi, ut damnatae sectae homines Nostra erga ipsos clementia permoti, a perditionis via sese eripere curarent. Ne vero in re tam gravi ullum dubium superesse possit, vel ullus deceptioni locus, Nos non omittimus hac occasione iterum declarare et confirmare Massonicas societates sive quae in ista regione, sive quae alibi terrarum existunt, quaeque a multis vel deceptis vel decipientibus socialem

tantum utilitatem et progressum, mutuaeque beneficientiae exercitium spectare dicuntur, apostolicis constitutionibus et damnationibus esse proscriptas atque perculsas, eosque omnes qui sectis iisdem nomen infauste dederint, ipso facto in majorem excommunicationem Romano Pontifici reservatam incidere. Vehementer autem cupimus, Ven. Fratres, ut sive per Vos, sive per Cooperatores vestros de hac exitiosa peste Fideles admoneatis, eosque omni, qua potestis ratione ab ipsa incolumes praestare adnitamini. Nec minori cum sollicitudine vestro zelo commendamus, ut religiosa doctrina per praedicationem verbi Dei, per opportunas instructiones Christiano Populo isthic sedulo tradatur; scitis enim quae utilitas ex hac ministerii parte si rite impleatur, quae damna gravissima si negligatur in Christianum gregem dimanent.

At praeter ea de quibus hic egimus, deplorare etiam cogimur potestatis abusum ex parte eorum qui memoratis Sodalitatibus praesunt, qui nempe ut ad Nos perlatum est, omnia ad suum arbitrium revocantes indebitum jus in rebus et personis sacris, et in iis quae spiritualia sunt sibi vindicare praesumunt, ita ut Ecclesiastici viri et Parochi ipsi in sui officii muneribus obeundis, eorum potestati penitus obnoxii reddantur. Quae res non modo ecclesiasticis legibus, sed et ipsi Ordini a Christo Domino in Ecclesia sua constituto omnino advertur; non enim laici homines a Christo positi sunt rerum ecclesiasticarum Rectores, sed ii pro sua utilitate et salute legitimis Pastoribus subesse debent,

eorumque est pro singulorum statu sese Cleri adjutores praebere, non autem sese immiscere in iis rebus quae Sacris Pastoribus sunt a Christo concreditae. Quapropter nihil magis necessarium agnoscimus, quam ut praedictarum Sodalitatum statuta ad rectum ordinem exigantur, et quae in iis abnormia et incongrua hac ex parte sunt cum Ecclesiae regulis et canonica disciplina rite componantur. Ad hunc finem assequendum Nos, Ven. Fratres, spectatis rationibus, quae inter ipsam Sodalitates et civilem potestatem intercedunt, in eo quod attinet ad earum in temporalibus constitutionem et ordinationem, jam Cardinali nostro a Secretis Status opportuna mandata dedimus, ut cum Imperiali Gubernio agat, et concordia cum ipso studia ad optatos effectus obtinendos convertat. Confidimus civilem auctoritatem in hanc rem suas curas Nobiscum studiose collaturam, ac Deum enixe precamur a quo bona cuncta procedunt, ut hoc opus quod ad Religionis et societatis civilis tranquillitatem pertinet, sua gratia prosequi et adjuvare dignetur. Horum votorum ut compotes simus Vos etiam, Ven. Fratres, vestras preces Nostris adjungite, ac in pignus sincerae dilectionis Nostrae accipite Apostolicam Benedictionem, quam Vobis et Clero ac Fidelibus cujusque vestrum curae concreditis peramanter in Domino impartimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 29 Aprilis Anno 1876. Pont. Nostri An. XXX.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTO FILIO FR. ALOISIO ROSSI DESIDERI
CVSTODI APOSTOLICI COLLEGII SANCTI CAROLI
IN VRBE S. LAVRENTII REIPVBLICAE ARGENTINENSIS
ET CATHOLICORVM CONVENTVI IBI COACTO

PIVS PP. IX.

DILECTE FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Nobile propositum vestrum, Dilecti Filii, custodiendi diligenter integritatem fidei vestrae, et adhaerendi propterea firmiter in omnibus huic veritatis Cathedrae, componendique sententiam et actus vestros ad eius mandata et documenta iucundius nos affecit, quam aliud quodlibet officium, munerique litteris addito insigne decus addidit et ornamentum. Nos certe, qui vos in Christo veluti filios carissimos diligimus, et animarum vestrarum salutem exigimus ad earum redemptionis pretium, quique catholicam unitatem tot impetitam machinationibus non modo subsistere, sed ab ipsis concussionibus compactiorem fieri desideramus; nequivimus magnopere non delectari litterarum vestrarum sensibus, et filiali stipe, quam, uti eorum testimonium, illis adiicere voluistis. Quae enim Christus de se

dixit: *qui non est mecum contra me est, et qui non colligit mecum dispergit;* ea merito sibi vindicare potest haec veritatis cathedra, cum Ipse docendi magisterium ei committens dixerit: *qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.* Cum igitur propositum vestrum salutem vestram respiciat et Ecclesiae utilitatem et honorem, pergratum profitemur officiis vestris animum, Deumque rogamus, ut nec a cupiditatibus, nec a metu, nec a vi vos ab illo sinat abduci, vosque ita caelesti sua virtute confirmet, ut quo graviora fiunt pericula, eo studiosius immobili huic Petrae adhaerere nitamini. Sit interim vobis superni favoris auspex et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolica Benedictio, quam unicuique vestrum, Dilecti Filii, peramanter impartimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 11 Maii Anno 1876 Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VNIVERSITAS QVEBECENSIS CANONICE ERIGITVR ET NONNVLLIS PRIVILEGIIS AVGETVR

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Inter varias sollicitudines, quibus pro iniuncto Nobis Apostolico munere rite obeundo undique angimur, illam libenter amplectimur, per quam ubique locorum litterarum studio vacare cupientibus, illarum addiscendarum occasio et commoda opportunitas tribuatur, ut errores, qui ob litterarum inscitiam plerumque enati, quique Sacram Christianae Reipublicae doctrinam deturpant, penitus si fieri possit, destruantur; quavis enim aetate experientia docet ad id obtinendum plurimum contulisse publicas studiorum Universitates.

Iamdudum Venerabiles Fratres Archiepiscopus Quebecensis Petrus Flavianus Turgeon, caeterique Episcopi Regionis Canadensis Nobis per Sac. Congregationem Christiano nomini propagando praepositam significaverunt, sibi in votis esse ut Catholica Universitate in Urbe Quebeci canonice erigeretur.

Cum vero illa Universitas sub patrocinio B. M. Virginis sine labe conceptae a Seminario Quebecensi viginti quatuor abhinc annis fundata sit praevio S. Sedis beneplacito plenoque civilis potestatis consensu, ac nuperrime Venerabilis Frater Elzearus Alexander Tachereau Archiepiscopus Quebecensis, nec non Dilectus Filius Thomas Stephanus Hamel eiusdem Universitatis Rector supplices Litteras pro canonica institutione impetranda Nobis porrexerint, Nos per eosdem Venerabiles Fratres S. R. E. Cardinales Sac. Consilii Christiano nomini propagando in generali conventu Diei VIII Maii MDCCCLXXVI. coadunatos, compertum habentes, Quebeci Urbem Catholicae Religionis in America Septentrionali veluti Metropolim habendam esse, ex eo quod sexaginta Dioecesium mater existat, ac insuper facilem ad eam patere accessum ex omnibus Canadensis regionis partibus, compertum praeterea habentes Universitatem, cuius institutio canonica expostulatur, vastissimis aedificiis qua artis opificio, qua sumptus magnificentia admiratione dignis, copiosa bibliotheca variisque lectissimis museis in omnigenae scientiae subsidium exornari, ac sapientium virorum magisterio et moderatione gubernari, quorum plures in hac ipsa SS. Apostolorum Petri et Pauli Urbe apud Archigymnasium Gregorianum Societatis Iesu et S. Apollinaris scholas doctrinam hauserunt, reique Christianae ipsique civili Societati uberrimos fructus attulisse, adolescentibusque a morum corruptela cohibendis, magnis extructi aedibus ad eorumdem institutionem sub sollertium Sacerdotum disciplina

providisse, atque ampliora exin in Religionem et bonos mores commoda expectari posse, censuimus praedictam Universitatem canonice et celebriorum Universitatum pariformiter et aeque principaliter erigere instituere et confirmare.

Ad mentem vero eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum volumus et decernimus, ut haec institutio ea lege fiat, ut eiusdem Universitatis Protector sit Praefectus pro-tempore praedictae Sac. Congregationis de Propaganda Fide, quo munere hodie auctus est Dilectus Filius Noster Alexander Tituli S. Mariae Transtyberim S. R. E. Presbyter Cardinalis Franchi nuncupatus, et Cancellarii Apostolici munere fungatur Archiepiscopus Quebecensis, atque eidem Universitati ius sit Doctoratus lauream aliosque inferiores gradus academicos in singulis facultatibus ad consueta Universitatum Statuta conferendi, ac ut doctrinae et disciplinae, idest fidei ac morum suprema vigilantia penes Archiepiscopum et Episcopos omnes Provinciae Quebecensis seu Canadae inferioris extet, in caeteris vero omnia esse moderanda iuxta sententiam Sac. Congregationis de Propaganda Fide editam Die I. Februarii MDCCCLXXVI. et iuxta ipsius Universitatis leges, quarum congruentiam et utilitatem diuturna experientia probavit.

Cum vero Magnae Britanniae Regina Victoria iampridem Universitatem amplo adprobationis diplomate, cui in nulla re derogatum volumus, muniverit et cohonestaverit, plenamque propterea magisterii libertatem concesserit; hinc censuimus ex eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio, ut eadem

Regina et gubernia tum Foederale tum Provinciale Quebecense, adductis de causis, debitis laudibus cumulentur.

Tandem vehementer hortamur Episcopos Quebecensis Provinciae, ut eidem Universitati Lavallensi, quae tam luculenta exhibuit sanae doctrinae et integritatis fidei testimonia, eorum Seminaria et Collegia aggregare curent; ut ita alumni magis magisque idonei ad eamdem frequentandam reddantur, omnibus vero Archiepiscopis et Episcopis Dominationis Canadensis commendamus, ut bonae spei adolescentes in ipsam Universitatem mittere studiorum causa satagant et parentibus suadeant ne filios suos propriae libertati permissos, in Quebeci urbe vagari sinant, sed potius in illis recipi hospitalibus aedibus unice ad eorum moralem institutionem facilioremque scientiarum progressum, tot tantisque sacrificis per Seminarium Quebecense a solo extructis, quibusque manutendis in studiosae iuventutis commodum, summa liberalitate Professores ac Moderatores ipsi, maiorum suorum exempla sequuti, concurrere non destiterunt.

Praesentes vero Litteras et in eis contenta, etiam ex eo quod in praemissis interesse habentes seu habere praetendentes, ad hoc vocati citati et auditi non fuerint, aut ex quibusvis aliis causis occasionibus vel praetextibus de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu, notari impugnari aut alias infringi vel quomodolibet retractari suspendi restringi limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus posse,

easque omnino sub quibusvis constitutionibus revocationibus limitationibus derogationibus modificationibus decretis vel declarationibus generalibus vel specialibus, etiam motu scientia et potestatis plenitudine similibus, minime comprehendi; sed semper ab illis exceptas et perpetuo validas firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat et spectabit quomodolibet in futurum, perpetuo et inviolabiliter observari, ac dictae Universitati, ut praefertur erectae, illiusque personis perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere: sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores ac etiam S. R. E. Cardinales, censeri, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane decernimus.

Quocirca Dilecto Filio Nostro Alexandro S. R. E. Presbytero Cardinali Franchi nuncupato Sac. Nostrae Congregationis de Propaganda Fidé Praefecto, eiusque Successoribus pro-tempore existentibus, per Apostolica Scripta mandamus, eique facultatem auctoritatem omnimodamque iurisdictionem tribuimus et elargimur; ut ipse praesentes Nostras Litteras et in eis contenta exequi curet, eidemque Universitati et illius personis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat Nostrae et Apostolicae Sedis auctoritate ipsas praesentes et in eis contenta huiusmodi ab omnibus ad

quos spectet et pro tempore spectabit, inviolabiliter observari, ipsamque Universitatem illiusque personas quas praesentes concernunt, omnibus et singulis harum tenore elargitis pacifice frui et gaudere, contradictores, servatis servandis, compescendo.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et cancellariae Nostrae Regula *de iure quaesito non tollendo*, aliorumque Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, dictaeque Universitatis Statutis, Indultis quoque et Litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis; quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut alia quaevis exquisita forma servanda foret ad hoc, illorum omnium et singulorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, latissime et plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et Sigillo Personae in ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, institutionis, confirmationis, subie-

ctionis, Indulti, hortationis, mandati, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contradire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo sexto - Idibus Maii - Pontificatus Nostri Anno XXX.

F. CARD. ASQVINIVS.

C. GORI SVBDATARIVS

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco ✠ Plumbi

I. CVGNONIVS

Reg. in Secretaria Brevium.

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILI FRATRI
IN SAXONIA VICARIO APOSTOLICO

PIVS PP. IX.

VEN. FRATER SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Expositum nobis est Capitulum Ecclesiae S. Petri Budisianae ad decanatum et administrationem veteris Ecclesiae Misnensis in Lusatia, per obitum Ven. Fratris Ludovici Forwerko Episcopi Leontopolitani vacantem Te, Venerabilis Frater, elegisse eodemque tempore supplicatum ut electionem istam confirmemus, Apostolica nostra auctoritate interposita. Nos ubi re sedulo attenteque perpensa, compertum habuimus, vota huiusmodi in illius Ecclesiae bonum cedere haec quae infrascripta sunt, decrevimus. Itaque Te, Venerabilis Frater, ab quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris sententiis, et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurristi huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, primum si quid in ista tua electione peccatum fuerit,

hisce Literis Apostolica nostra Auctoritate sanamus; deinde pro hac vice tantum et ob peculiaria rationum momenta, tecum Venerabilis Frater, per praesentes, super incompatibilitate utriusque Praelaturae eadem Auctoritate, dispensamus; insuper vi praesentium electionem tuam huiusmodi in Decanum et Administratorem Ecclesiae Misnensis pari Auctoritate, confirmamus, ratamque habemus; tandem de eiusdem potestatis nostrae plenitudine, Tibi, Venerabilis Frater, iuxta tenorem praesentium concedimus, ut in obeundo administratoris munere omnia et singula exercere possis, quae tum ordinis sunt, tum iurisdictionis ea tamen conditione ac lege ut de spirituali tua dictae Ecclesiae administratione Patrum Cardinalium Congregationi Fidei Propagandae praepositae singulis bienniis rationem reddas. Omnibus porro ac singulis ad quos pertinet, praecipimus ut Te in Decanum et Administratorem Misnensis Ecclesiae, quam descripsimus, excipiant admittant tibique faveant praesto sint ac pareant. Non obstantibus, quatenus opus sit Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, nec non dictae Ecclesiae Misnensis, aliisque speciali licet atque individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 16 Maii 1876. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

F. Card. Asqvinivs.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

VICTORI FELICI ARCHIEPISCOPO SENONENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quo acerbiori odio et impudentiori contemptui ac insectationi impietatis obnoxia fit catholica religio, Ven: Fr: eo opportunius et utilius ad eius decus, ad confirmandam fidem, ad propitiandum Deum publicae eduntur significationes obsequii et pietatis in Ipsum, in Caelites, in Ecclesiam. Cuius quidem rei peregrinationes ad sanctiora loca passim susceptae et quotidie increbescentes adeo perspicuum exhibent testimonium, ut animorum mutatio, et propagatio religiosi sensus inde sequuta mira prorsus videatur; et multi ex iis, quos puduisset antea accedere ad templa, nunc ea repleant, et honori sibi ducant apertam sedulamque pietatis exercitiis operam im-

pendere. Cum itaque mentem adieceris ad instaurandas veteres peregrinationes ad Vegelianense S. Mariae Magdalenae templum tribus abhinc saeculis dirutum ab haereticis, eiusque sanctuarii religionem ad novam veluti vitam revocare constitueris per translationem extantis apud te insignis reliquiae eiusdem sanctae, quae sufficiatur corpori tunc exusto id cum illecturum sit pia supplicantium agmina ad implorandam, per dilectissimae Christi discipulae suffragia, divinam misericordiam, opportunissimum censemus et praesentibus Ecclesiae civilisque societatis necessitatibus accommodatissimum. Quamobrem, ut proposito tuo non commendatione tantum faveamus, sed et illice lucri spiritualis; petitioni tuae libenter annuentes concedimus, ut quisquis e fidelibus, qui sacra confessione rite expiatus et angelorum pane refectus in die peragendae translationis ad Vegelianense templum convenerit, ibique, iuxta mentem Romani Pontificis, devote oraverit pro sanctae Matris Ecclesiae exaltatione et extirpatione haeresum, indulgentiam plenariam, in suffragium etiam piorum defunctorum convertendam, assequi valeat; eamdemque concessionem porrigimus ad anniversariam translationis diem quotannis deinde instaurandam. Ac praeterea concedimus etiam in perpetuum, ut quisquis eamdem ecclesiam, corde saltem contrito, per annum pie visitaverit; centum dierum indulgentiam lucrari possit, quae pariter in fidelium defunctorum expiationem converti valeat. Deum interim adprecantes pio desiderio tuo propitium; favoris eius auspicem et praecipuae Nostrae

benevolentiae pignus tibi, Ven: Fr: universaeque Dioecesi tuae Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum 8 Iunii 1876 Pontificatus Nostri anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS NOBILIBVS VIRIS COMITI ANTONIO DE PERGEN ET CETERIS GENERALIA CATHOLICA COMITIA HABITURIS VINDOBONAE IN AUSTRIA.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII, NOBILES VIRI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Infensa prorsus, uti scite animadvertitis, Dilecti Filii, Nobiles Viri, tempora volvuntur divinae religioni nostrae, sive ob generale bellum indictum ubique catholicae Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi, sive ob illorum incuriam, aut etiam neglectum, qui, cum sint potentes, opem illi in propriam etiam tutelam ferre deberent; ac praeterea periculosissima singulis fidelibus ob artes, quibus instituta tegitur insectatio, et quibus eorum bona fides aut oscitatio circumvenitur. Quidquid enim excogitatur, quidquid audetur in sacra, iuridica specie et forma sic obducitur, ut caecutientibus haud difficile suaderi possit, in laicae maiestatis assertionem ea fieri potius, quam in odium Ecclesiae, deficere propterea causam, cur in huiusmodi scita insurgatur; ubi aptius contentio componi

possit, resecto utrinque postulatorum excessu. Quo sane errore nihil periculosius. Ponit enim Ecclesiam a suo desciscentem officio invadere posse in iura plane saecularia; eoque in casu laicae potestatis esse illam coercere, atque ita contingere, ut, non pastor oves, sed istae illum ducere debeant. Ponit deinde non minus Ecclesiae a Domino constitutae sacrorum iurium custodi et vindici convenire ab eorum defensione desistere, eaque, studio pacis, occupantis arbitrio permittere; quam laicae potestati recedere ab usurpationibus suamque temperare iactantiam: quo tandem valeat iustum cum iniusto verum cum falso, Christus componi cum Belial. Ei vero intimae erroris malitiae novum etiam periculum accedit ex exteriore eius indole. Siquidem error hic prudentiae carnis plane consentaneus commodissimus obvenit pacem habentibus in substantiis suis, suaviterque blanditur omnium ignaviae; eorumque in primis, qui faciem potentum formidant, aut eorum gratiam studiose sectantur. Longe tamen aliter tu, Dilecte fili, magnanimique sodales tui sensistis ab exordio conversionis rerum, qui cum sagaciter perspexissetis quo demum spectarent osorum Ecclesiae consilia, non solum abiectos hosce laqueos vitatis, sed alacriter occurrere studuistis paratis machinationibus. Neglecta idcirco gratia pariter et simultate potentum, posthabitaque etiam propriorum bonorum cura; erecta fronte veritatis et iustitiae vexillum extulistis, et pro ipsis, pro religione, pro Ecclesiae iuribus, pro vera patriae utilitate, servato semper obsequio laicae potestati debito, strenue pugnastis reddituri scilicet, iuxta

evangelicum mandatum, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo. Ne vero vires vestrae seiunctae impares essent incepto, iustoque et apto duce carerent; coivistis simul, contulistis saepe consilia, eaque auctoritati ecclesiasticae quam eratis propugnaturi, subiecistis. Gaudemus itaque rursum vos convenire, rationem disquisituros, qua vobis, servato iuris ordine, fas sit efficacius consulere religiosis rebus; idque peragere auspicantibus egregio Vindobonensi Metropolita aliisque illustribus Austriae Episcopis. Quos omnes eo ampliore commendatione dignos censemus, quod invalescente periculo, libere et palam suffragati sunt vobis, huic Apostolicae Sedi addictissimis, quibus ea licent per leges, quae perfici a Clero non sinerent adiuncta rerum et prudentia. Quod certe nobile firmitatis exemplum sicuti eos arctius inter se coniunget novasque vires singulis addet; sic vos confirmabit in proposito mutosque etiam, qui desides adhuc quieverunt adiiciet electissimo agmini vestro. Caelestem Nos lucem et prudentiam adprecamur conventui vestro virtutemque deinde parem iis quae decreveritis, perficiendis. Superni vero favoris auspicem et paternae Nostrae praecipuaeque benevolentiae testem unicuique vestrum Dilecti Filii Nobiles Viri, ac toti cogendo coetui Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum 19 Iunii 1876. Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Pastoris aeterni vices, licet immeriti hic gerentes in Terris quae Dominico Gregi bene prospere, ac feliciter eveniant, ea praestare maturamus, interposita Apostolica nostra auctoritate, Itaque cum ad Nos relatum fuerit in rem catholicam maxime fore, si, propter nimiam amplitudinem Vicariatus Apostolici in Regno Japoniae, et proprias locorum ac temporum conditiones Vicariatus ille in praesenti duos in Vicariatus distinctos divideretur, quo christiano nomini, et Fidelium necessitatibus satius opportuniusque consultum sit, Nos, ubi primum datum est, rem communicavimus cum Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei propositis omnibusque rei momentis sedulo attenteque perpensis, de eorumdem Venerabilium Fratrum consilio haec quae infrascripta sunt, de-

crevimus, Vicariatum Apostolicum in Iaponiae Regno in duos distinctos Vicariatus iuxta exemplar a Ven. Fratre Myriophitano Antistite, et memoratae Missionis Vicario Apostolico propositum, hisce litteris Apostolica Auctoritate nostra, seiungimus, ac separamus, Septemtrionalem nimirum et Meridionalem, quorum prior universam Septemtrionalem regionem scilicet insulas Kouriles, Yedo, et partem usque ad Lacum Biwa, magnae Insulae de Nippon, complectatur habeatque; ad meridiem tamquam fines Provincias de Yetchidieu, Minò, et Ovvàri, posterior vero totam a praedicto Lacu plagam meridionalem comprehendat territorium scilicet Nagasaki, insulas adiacentes, nempe Chi Molhan, Kiouchiou, Mirado, Goto, Tsouchina, Kian Mian, aliasque minoris momenti, quae istis adiacent, ac reliquam partem dictae Insulae de Nigou, inter ipsum Lacum Biwa et Nagasaki comprehensam, tandem ad septemtrionem Provincias de Wa-Kasa Ami et Tche vulgo nuncupatas veluti finibus circumscribatur, haec volumus statuimus edicimus, decernentes, praesentes Nostras Litteras firmas validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere illisque, ad quos spectat, ac pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque Iudices et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non Obstantibus, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito

non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non speciali licet atque individua mentione dignis, coeteris contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 20 Iunii 1876. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

F. Card. Asqvinivs.

LITTERAE APOSTOLICAE

DILECTO FILIO NOSTRO
IOSEPHO ALOISIO TITVLI SS. NEREI ET ACHILLEI
S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI TREVISANATO
EX DISPENSATIONE APOSTOLICA PATRIARCHAE VENETIARVM

PIVS PP. IX.

DILECTE FILII NOSTER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ut apud religiosas Monachorum familias Catholica Fides et unitas integra semper et intemerata maneret, omnisque ab eis, si umquam suboriri contigisset, prava suspicio amoveretur, paterna charitate et Apostolica sollicitudine advigilarunt semper Romani Pontifices Praedecessores Nostri. Probe enim noverunt quot quantaque bona Catholicae Ecclesiae a regularibus Familiis obveniunt, quoadusque in Apostolicae Sedis communione et obedientia perseverantes commissis sibi officiis ad tramitem regularum suarum solerter et integre functi sunt. Hoc porro Apostolicae Sedis studium, sicuti alias ita praesertim post exortum novum Armenium schisma, Venetam quoque Mechitaristarum Monachorum fa-

miliam expertam esse tu ipse probe novisti, Dilecte Fili Noster, tum ex nostris litteris ad Te datis die 10 Maii 1866, tum ex sollicita cura, quam in eos contulisti. Porro cum e vivis nuper excesserit novissimus eorum Abbas generalis Georgius Hurmuz Archiepiscopus Siuniensis, memorati Monachi Mechitaristae veniam a Nobis postularunt, prout in eorum constitutionibus cautum est, Capituli generalis celebrandi ad successorem eligendum; datisque hac occasione litteris suam fidem, obedientiam ac devotionem erga Apostolicam hanc Sedem professi sunt, novumque Armenium schisma se reprobare declararunt. Quorum votis annuere volentes eosque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, censuris ac poenis, a iure vel ab homine, quomodolibet latis, et forsan incursis, ad effectum tantum praesentium consequendum absolventes, et absolutos fore censentes, expetitam, ut supra, capituli generalis celebrandi facultatem concedimus: Tibique mandamus ut eidem capitulo, sive per Te sive per aliam ecclesiasticam Personam a Te specialiter designandam, Nostro nomine et auctoritate praesideas, cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis, quas Tibi vigore praesentium tribuimus. In quo Capitulo, praemissa ab omnibus et singulis Monachis ad illud convenientibus fidei professione, iuxta formam a Nobis probatam die 12 Martii an. 1872 typisque editam, cuius exemplum praesentibus adjiciendum mandavimus ad Abbatis generalis electionem procedetur, servatis omnibus de iure servandis. Hortamur autem universos et sin-

gulos, quibus suffragii ferendi ius est, ut omni posthabita humana affectione solumque Deum prae oculis habentes, eum ad generale ordinis sui regimen virum eligant, quem spectati mores, christiana prudentia, catholicae fidei et unitatis singulare studium et zelus verum sui ordinis bonum procurandi apprime commendent. Quae omnia ut misericors Deus benigne indulgeat, Apostolicam Benedictionem Tibi Dilecte Fili Noster, et omnibus qui electioni praedictae, uti supra operam navabunt, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVIII Julii MDCCCLXXVI Pontificatus Nostri ann. XXXI.

F. Card. Asqvinivs

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Quod e Re Catholica maxime fore videbatur, Bengalae Orientalis regionem in Indiis in Vicariatum Apostolicum Anno MDCCCL ereximus, interposita Nostra Auctoritate, eiusque regimen curae commisimus Sacerdotum Congregationis Sanctae Crucis. At enim cum decursu temporis eius Congregationis Operariorum numerus deficere, eodem Anno MDCCCLXXI in generali Capitulo constitit, editoque decreto quo se a praedictae Missionis regendae munere abdicabat illud Nobis suppliciter obtulit, confirmandum. Per ea tempora in Anglia canonice erecta fuit Provincia Anglo-Belgica Benedictinorum Cassinensium Primitivae Observantiae. Itaque de Vicariatus Apostolici, quem descerpsimus, bono solliciti, per Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales negotiis Propagandae Fidei praepositos cum Generali

superiore memoratae Provinciae egimus ut loco Presbyterorum S. Crucis Vicariatum illum excolendum sumeret. Quam quidem Provinciam cum superior Generalis sibi demandari passus sit, de eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum consilio, haec, quae infra scripta sunt statuenda censuimus. Dilectorum filiorum precibus Presbyterorum Congregationis S. Crucis, per praesentes annuimus; eosque ab onere regendae Missionis Bengalae Orientalis vacuos, solutosque Auctoritate Nostra Apostolica declaramus; id ipsum porro adsignamus, imponimus Congregationi Benedictinorum Cassinensium Primitivae Observantiae Provinciae Anglo-Belgicae; ad Beneplacitum tamen S. huius Sedis ac sartis tectis, singulis et universis conditionibus, quibus pridem Bengalae Orientalis Missionem de qua supra habita mentio est, Congregationi S. Crucis moderandam demandavimus. Simul decernimus praesentes Nostras Litteras firmas fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et quoad aliter per Nos, sive successores Nostros provisum fuerit in omnibus et per omnia plenissime suffragari ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostrae et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, nec non dictae Missionis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis

statutis et consuetudinibus, Privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis Superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis et aliis decretis in genere vel in specie, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris. Die IV Augusti MDCCCLXXVI. Pontificatus Nostri Anno Trigesimoprimo.

F. CARD. ASQVINIVS.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOBILI VIRO LUDOVICO COMITI
DE ARCO-ZINNEBERG ALIISQUE CATHOLICUM COMITIUM
PARANTIBUS

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Recreamur, ea fide, qua in tribulationibus tesseram vidente discipulorum Christi, quibus ipse dixit, si me persecuti fuerint, et vos persequentur insectationibus et irrisionibus confirmamini potius in religiosae rei tutela, quam commoveamini. Ipse, quem paratis, conventus id aperte testatur; non enim alia de causa in eum coitis, nisi ut, consideratis detrimentis illatis Ecclesiae et fidelibus, collatis consiliis decernatis, quo pacto haec lenire liceat, et gravioribus etiam occurrere malis, servato legum obsequio. Arduum autem opus tam alacri nobilique suscipitis animo, ut ad illud accedatis existimantes piaculari tantum ratione comparari posse praesenti societati salutem; et expiationis proposito informandum esse statueritis idcirco omne subeundum discrimen, et quidquid curarum, sumptuum, laborum eritis

inituri. Cuius sane consilii praeclaram gratulamur caritatem; siquidem frater in angustiis comprobatur et caritas, quae non quaerit quae sua sunt, ac omnia suffert, omnia sperat, omnia sustinet, tunc maxime elucet, cum se ipsam exhibet hostiam pro aliis. Graviora profecto fiunt quotidie tempora, difficultates invalescunt, et necessitates augentur, quibus prospicere oportet. Multo commodius omnino et efficacius res perfici posset, si quotquot catholicorum nomine gloriantur unum sentirent ac dicerent Nobiscum, et cum vobis, qui huiusce Petri cathedrae doctrinam mentemque studiose sectamini. Verum multi pacem habentes in substantiis suis, gratiaeque propterea inhiantes procerum, eorumque iram et simultatem metuentes, minimeque considerantes, amicitiam huiusmodi inimicam ita Dei esse, ut quicumque voluerit amicus esse saeculi huius inimicus Dei constituatur; licet propriis videant oculís exitialem prorsus fervere pugnam inter veritatem et érrorem, ius et violentiam, Deum et Satanam, in eo sunt toti, ut huiusmodi inimicorum conciliationi perinde adlaborent, ac si societas haberi posset lucis ad tenebras. Isti vero vix ac ab hostibus Ecclesiae diuturno ac inani labore fessis aliquod ostendi noverunt compositionis desiderium eriguntur illico, carnisque prudentia compulsi in luctantes catholicos insurgunt, imprudentiae conatus eorum insimulant, ipsos ad silentium adigunt ne scilicet commentitiae quidem, sed a se optatissimae paci obiiciantur obstacula. Et quamquam ab ipsa rerum serie ac indole et a] diuturna experientia edocti, nolunt prorsus

animadvertere, mollitos utique inimicorum Ecclesiae sermones esse super oleum sed ipsos esse iacula, seque illis auxilium ita praebere, ac iis, qui oderunt Dominum, amicitia iungi. Nihil periculosius, nihil exitiosius isto hominum genere, qui probitatis religionisque suae exteriori apparatu scindunt et frangunt Ecclesiae vires, audaciam addunt ipsius hostibus, eosque etsi nolentes, ad saeviorem concitant iram adversus veros fideles. Si quid igitur vobis apud istos est gratiae, sedulam adhibete curam ut demum intelligant, quantum Ecclesiae detrimentum inferant, quam male de religione, de patria, de se ipsis mereantur; quo, veritate cognita, a via sua mala recedant. Si in difficillimo hoc incepto proficere quidquam valeatis; plus fortasse hoc uno studio assequemini, quam ceteris laboribus vestris, ut ut, necessariis et utilissimis. Cum unus Deus in cuius manu sunt mentes et corda hominum, huic operi tam salebroso felicem concedere possit exitum vos ipsi toto corde commendamus; lumenque eius et omnipotentem opem vobis enixe adprecantes, caelestium munerum auspicem et paternae praecipuaeque benevolentiae nostrae testem unicuique vestrum Dilecti Filii Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 14 Augusti Anno 1876. Pontificatus Nostri Anno Tricesimoprimo

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILI FRATRI LUDOVICO LION
ARCHIEPISCOPO DAMIATEN. IN PARTIBVS INFIDELIVM
DELEGATO APOSTOLICO IN MESOPOTAMIA,
KVRDISTAN ET ARMENIA MINORI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Gravissimum Supremi Apostolatus munus Divinae providentiae consilio gerentes in persona B̃mi Petri cui non agnos tantum, sed oves etiam pascendi munus est impositum, si quid in Dominici gregis utilitatem salutemque minus cedere animadverterimus ex debito supremi Officii Nostri, et ex traditae Nobis potestatis plenitudine opportune providere satagimus. Hac quidem mente similibus Litteris Nostris pridie Kal. Septembris Anno MDCCCLXIX datis, quarum initium « *Cum ecclesiastica disciplina* » certum constituimus modum circa electionem Episcoporum servandum in Patriarchatu Babylonensi Chaldaeorum, simulque cassum atque irritum decla-

vimus quidquid a quovis umquam attentari contra eamdem Constitutionem contigerit. At Ven. Frater Iosephus Andu Patriarcha Babylonensis Nostris huiusmodi dictis minime audiens quosdam Sacerdotes dioecesibus Amodiensi, Jazirensi, Zakuensi ausus est praeficere, eosque charactere Episcopali contra praefatam Constitutionem augere, ac proinde ex ipsa Constitutione Nostra eorumdem electio irrita est, consecratio sacrilega, nullaque et cassa omnino institutio. Quamobrem tam ipsum Patriarcham, quam intrusos pseudo-episcopos monendos curavimus, ut sua male patrata improbarent, et ille quidem eos revocaret, hi vero a temere occupatis dioecesibus secederent. Verum quum nemo eorum hisce monitis obtemperaverit, Nos, quibus ex debito Supremi Apostolatus incolumitati universi dominici gregis est prospiciendum, istarum aliarumque dioecesium omnium, quas legitimo pastore carere contingat, administrationem et regimen Nobis et Sanctae huic Apostolicae Sedi reservamus, donec praefatus Patriarcha monitis mandatisque Nostris non paruerit et satisfecerit. Ne autem patriarchatus dioecesium fidelibus longiore pastorum suorum viduitate detrimentum in spiritualibus obveniat, Tibi, Ven. Frater, Apostolica auctoritate Nostra tenore praesentium facultatem eligendi decem Presbyteros Chaldaici ritus, quos ad hoc munus sancte, scite ac frugifere gerendum idoneos in Domino iudicaveris, impertimus, Tibique pro singulis a Te eligendis Nostras Litteras Apostolicas Piscatoris Annulo obsignatas, et a dilecto Filio Nostro Fabio S. E. R. Presbytero Cardinali Asquinio a

Brevibus subscriptas una cum hisce Nostris transmittimus, ut illas singulis per te electis, inscripto prius cuique ex dictis Litteris Presbyteri a te electi praenomine ac nomine, oppositoque suo loco in iisdem assignatae dioecesis titulo, et die annoque electionis tradere queas. Praecipimus tamen, ut de singulorum electorum nomine et praenomine, deque titulo assignatae dioecesis et de die et anno apposito iisdem Literis Apostolicis Congregationem Christiano nomini propagando praepositam pro negotiis ritus Orientalis certiorem facere tenearis. Non obstantibus licet speciali atque individua mentione et derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V Septembris 1877 Pontificatus Nostri Anno XXXI.

F. Card. Asqvinivs.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI LUDOVICO EPISCOPO TRIFLVVIENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATRER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae proprio et ceterorum Praesulum Canadensium nomine scriptis et ore testatus es de communi obsequio vestro studioque in hanc Apostolicam Sedem, id Nobis iucundissimum accidit, Venerabilis Frater, per haec praesertim tempora, in quibus unitas, mentiumque et affectuum coniunctio adeo necessaria est ad sistendum irrumpentium malorum impetum deterioraque praevertenda. Delectati vero potissimum sumus curis, quas impenditis imbuendo sana Doctrina populo eoque illustrando quoad Ecclesiae naturam, constitutionem, auctoritatem, iura, quorum notitia vaferrime perverti solet ad fideles decipiendos; et diligentiam commendare debuimus, qua populum eumdem munire nisi estis contra subdolos errores *liberalismi,* ut aiunt, *catholici*, eo periculosiores ceteris, quo dexteriore pietatis specie obducti multos decipiant

honestos, eosque allicientes ad dissentiendum a sacra doctrina, in iis nominatim, quae prima fronte, civile potius regimen, quam ecclesiasticum spectare videntur, fidem infirment, unitatem dissolvant, catholicas disgregent vires, efficacissimamque praebeant opem hostibus Ecclesiae, eadem licet latius et impudentius docentibus, in quorum nefaria postulata sensim animos inclinant. Gratulamur igitur vobis, quos cupimus pari semper zelo et perspicuitate revelandis insidiis, erudiendoque populo adlaborare ea concordia, quae omnibus mutuam caritatem vestram ostendat, et idem unumquemque vestram sentire, idem dicere ac docere demonstret. Id vero sponte fiet, si, quam disertis verbis et amantissimis profitemini devotionem huic Petri Cathedrae veritatis magistrae, studiose in vobis fovere contendatis. Id universis adprecamur, dum divini favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus tibi, Venerabilis Frater, et singulis Canadensibus Episcopis, eorumque Dioecesibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 18 Septembris 1876. Pontificatus Nostri Anno Tricesimoprimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTO FILIO IGNATIO GHIVREKIAN ABBATI GENERALI
CONGREGATIONIS MECHITARISTARVM—VENETIAS

PIVS PP. IX

DILECTE FILI
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Binae Nobis litterae redditae sunt, alterae die 23 elapsi Iulii datae, quae subscriptiones Sodalium istius religiosae familiae habebant, alterae die 7 mensis Augusti a Te conscriptae postquam canonica tua in Abbatem electio istic a Capitulo generali peracta fuit. Ad priorem illam epistolam quod attinet, libente in ea legimus, Dilecte Fili, declarationem tuam aliorumque istius congregationis Sodalium, qua Vos luctuosum schisma Armenium his temporibus excitatum improbare ac detestari diserte significastis, pariterque condemnastis miseram agendi rationem eorum ex sodalibus vestris qui eidem schismati adhaeserunt, quos merito ab Ordine vestro segregatos et avulsos, prout vestrae constitutiones exigunt et Nos expresse decrevimus, omnino vos habere affirmatis. Delectavit Nos insuper professio

vestra eisdem litteris consignata in qua tum voluntatem vestram Catholicae Ecclesiae firmiter devinctam testamini, tum debitam submissionem et obedientiam erga Sanctam hanc Sedem exhibetis, cuius obsequium vobis omnino cordi esse ac futurum usque ad extremum spiritum declarastis. Hanc porro professionem magis magisque apud Nos commendarunt gratioremque effecerunt, non solum id quod adiecistis in praedictis litteris die 23 Iulii datis de Ven. Fratre Antonio Petro IX quem uti unicum ac legitimum Patriarcham Ciliciae Armenorum agnoscere profitemini, sed etiam ea quae ad dilectum Filium Nostrum Alexandrum S. E. R. Presbyterum Cardinalem Franchi nostrae Congregationis de Propaganda Fide Praefectum a te, Dilecte Fili, peculiaribus litteris die 7 elapsi Augusti datis scripta fuere, in quibus cupidum ac paratum te esse declaras una cum tuis religiosis confratribus indubia argumenta submissionis et obedientiae erga Cardinalem praedictum et Congregationem cui praesidet praebere, ac promovere spondes apud tuos observantiam decretorum et ordinationum memoratae Congregationis nostrae, pro certo habens huiusmodi observantiam cum vera utilitate et bono tui Ordinis esse coniunctam. Egregias hasce declarationes vestras in praedictis litteris editas, Dilecte Fili, paterno cum affectu plurimum commendamus, Vosque omnes vehementer hortamur in Domino, ut ea omnia quae tanta cum laude vestra et consolatione nostra Nobis expressistis fideliter, plene et constanter operae implere studeatis, quo fiet certe ut existimationem et decus

Ordini vestro, nobili exemplum armeniis fidelibus et caeleste praesidium Vobis uberrime concilietis.

Nunc vero rationem habentes alterius epistolae quam post tuam electionem in Abbatem congregationis istius ad Nos misisti, in qua sensus tuae devotionis et obsequii Nobis expromens Benedictionem nostram Tibi et universis queis praesides a Nobis imploras, Tibi declaramus, optimam voluntatem quam Nobis significasti de tuo munere sancte ac fideliter implendo Nobis gratissimam extitisse, et laeta spe animum nostrum confortasse; ac Deum ex corde precamur ut eam voluntatem sua gratia confirmet et corroboret ac sanctis fructibus fecundet, utque omnes confratres tuos suo auxillo adiuvet, quo in fide et obsequio huius Apostolicae Cathedrae stabiles bonum Christi odorem sanctis operibus et conversatione sua valeant studiose diffundere. Omnium autem gratiarum auspicem et pignus sincerae dilectionis nostrae esse cupimus Apostolicam Benedictionem, quam Tibi, dilecte Fili, omnibusque tuis Monachis in communione et obedientia Apostolicae Sedis manentibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 23 Septembris 1876 Pontificatus Nostri Anno Trigesimo primo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS PRAESIDI ET CONSILIARIIS
COETVS PERMANENTIS
AD OPVS CATHOLICORVM CONVENTVVM ITALIAE

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Si a fructibus noscitur arboris comparatio, Dil: Fil:, egregia profecto censenda est indoles conventuum vestrorum, qui et solidam iam obtinuerant ordinationem, et religionis amorem propagarunt, et largiores ferunt in dies salutares coniunctorum laborum effectus. Gratulamur itaque vobis, quod novum paretis generalem conventum, cuius opera malis iugiter invalescentibus occurratis, nec ambigimus, quin, experientia trium annorum edocti, prudentia solertiaque vestra rationes excogitaturi sitis tuendae promovendaeque religioni nostrae sanctissimae aptiores. Inter ea vero, quae iam fecistis, commendamus in primis *regionalium*, uti dicitis, *coetuum* consociationes, *dioecesanis* et *corionalibus* adiutas. Nam si in generali conventu ea constitui possunt, quae generatim Ecclesiae negociis expediant; non aeque tamen, nec facile aut illico possunt

executioni demandari, nisi delectis committantur provinciarum, dioecesium, paroeciarum viris. Praeterea vero, cum non omnia pariter omnibus convenire valeant, sed singula singulis accomodanda sint locorum adiunctis, ingenio, necessitatibus; prudens et efficax executio sponte sua postulare videtur conterraneorum operam. Eo vel magis, quod ita non modo copiosior sodalium numerus et largiora subsidia valeant obtineri; sed, quod pluris est, per gestionis rationes a Curionalibus coetibus exhibitas Dioecesani, ab istis Regionali, et ab eo Generali, multa necessario revelentur quae delitescerent, multa subiiciantur oculis, quae plura decernenda suadeant aut temperanda, ad quae mens non adiiceretur. Huiusmodi sane incrementis recreamur; sed quoniam ipsa protendi cupimus et solidari, facere non possumus, quin ad unanimitatem vos omnes impensius adhortemur, perfectamque illam caritatem, quae non quaerit quae sua sunt, sed quae Iesu Christi, qui non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret. Ceterum etsi successus a nupero Regionali Veneto coetu recensiti opportunaque consilia in ipso inita demonstraverint in horumce circulorum utilitate verum operis progressum; desiderandum videretur, ut generalis Conventus mox cogendus animum ad ea quoque converteret, quae religiosae rei speranda vel timenda videntur a propitia vel infensa illorum auctoritate qui administrandis Municipii seu Provinciae negociis praeponuntur. Cum autem alterutra conditio pendeat a virorum electione, qui Ecclesiam colant vel contemnant; expediret omnino, ut catholici excitarentur

ad curandam fovendamque eorum electionem, qui cuiusvis ordinis fundamentum in religione constituunt, quique idonei reapse noscuntur gerendis publicis rebus in veram populi utilitatem; ut aucto sensim eorum numero, iustum ac rectum eam saltem assequi valeant libertatem, qua malum fruitur. Compedibus iniectis Ecclesiasticae auctoritati vos, Dil: Fil: in subsidium eius a divina providentia vocati estis; Nosque delectamur et gaudemus studium considerantes, quo, veluti phalange facta, iungimini Pastoribus vestris ad honorem Dei tuendum, propugnanda religionis et Ecclesiae iura, procurandam animarum salutem; posthabitis ad hoc sollicitudinibus, sumptibus, simultatibus, iurgiis, et non levibus etiam periculis; gaudentes pro Christi nomine contumeliam pati. Is profecto, quem ita confitemini coram hominibus, palam et vos confitebitur coram Patre suo, ac interea nec vos orphanos relinquet, nec potente destituat auxilio suo, uti experti videtis. Eius itaque efficaciorem semper opem vobis adprecamur copiosis cumulatam supernis muneribus, quorum auspicem esse cupimus, Apostolicam Benedictionem, quam vobis paternae Nostrae benevolentiae testem Dil: Fil; totique generali Conventui vestro, et sodalibus quotquot sunt catholicae consociationis vestrae, quocumque designentur nomine, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum dies 25 Septembris 1876. Pontificatus Nostri Anno

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

ERECTIO THEOLOGICORVM COLLEGIORVM
IN CALARITANO ET TORRITANO SEMINARIIS
CVM FACVLTATE CONCEDENDI IN THEOLOGICIS DISCIPLINIS
ACADEMICOS GRADVS

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Innumera splendidaque monumenta ubique testantur Romanos Pontifices Praedecessores Nostros omni tempore omnique studio suas curas, cogitationes opesque in sanam adolescentium germanamque institutionem et rectam liberalium studiorum rationem procurandam contulisse; ex his enim maiorem utilitatem, splendorem dignitatemque publica res percipit, Illustris Sardiniae insula ut pueri litteris scientiisque instituerentur plures in suis provinciis habuit scholas, ut eadem in insula Sanctae Sedis Apostolicae auspiciis duo floruerunt Lycea Magna, alterum in Calaritana, alterum in Turritana Civitate, quorum primum nempe Calaritanum a fel. rec. Paulo V et Clemente XIII institutum, cum Ipsi, tum alii etiam Praedecessores Nostri Romani Pontifices iugiter foverunt et amplificarunt. Luctuosis vero

hisce temporibus, quum civiles leges Studiorum Universitatibus theologicas disciplinas, aliarum scientiarum omnium principes et lumina exterminaverint, ne subsidia lectique et uberes fructus ex divinarum rerum notitia in ecclesiam redundantia deficiant, neque ex eorumdem studiorum neglectu reliquae scientiae, quae quidem in deliramenta gravesque errores facile incidere possent, detrimentum patiantur, est ecclesiasticae auctoritatis tantas calamitates amovere, tantoque malo mederi. Quare porrectis Nobis praecipue a Venerabilibus Fratribus Antonio Balma Archiepiscopo Calaritano et Didaco Marorgio Archiepiscopo Turritano et ab aliis in dicta insula Sacrorum Antistitibus, tot sane nominibus bene de Ecclesia meritis, precibus annuentes, probatis prius per dilectum filium Nostrum Thomam Mariam titulo S. Priscae S. E. R. Presbyterum Cardinalem Martinellium pro-Praefectum Consilii Studiis moderandis praepositum huiusmodi studiorum praedictorum, nec non philosophici cursus iisdem theologicis studiis praemittendi programmatibus et legibus, praefatorum Antistitum sollicitudinem hac super re peculiari efferimus laude, et Apostolica Auctoritate Nostra harum Litterarum vi concedimus, ut in utroque Seminario Metropolitano, Calaritano nempe et Turritano Theologica Collegia prout sunt semperque fuerunt in Catholicis Studiorum Universitatibus constituantur, eademque Collegia theologica tum in Calaritano tum in Turritano Seminario Archiepiscopali de Apostolica Potestate Nostra tenore praesentium erigimus atque instituimus. Utrique autem

theologicorum Collegio ita per Nos erecto, vel in partem sive in totum restituto facultatem harum Litterarum Nostrarum vi facimus et impertimur concedendi in theologicis disciplinis Academicos baccalaurei et prolytae gradus, ipsamque doctoris lauream iis, qui in supradictis Seminariis theologicae facultatis scholas rite frequentaverint, itemque iis Clericis, qui cursu theologico iuxta programmata a Pontificia Studiorum Congregatione probata in quolibet eiusdem insulae Sardiniae Episcopali Seminario expleverint, factoque ab omnibus suae doctrinae periculo digni huiusmodi honore ab alterutro ex dictis collegiis fuerint iudicati. Volumus autem et Nostris hisce litteris decernimus, ut hoc futurisque temporibus Calaritani Collegii theologici Praepositus et Supremus Moderator sit Venerabilis Frater Ioannes Antonius Balma Archiepiscopus Calaritanus eiusque pro tempore successor, ac theologici-Collegii Turritani Praepositus et Supremus Moderator sit Ven. Frater Didacus Marongio Turritanus Archiepiscopus et utriusque Collegii Theologici Archiepiscopo Praeposito et Supremo Moderatori iura, privilegia et facultates omnes, quibus catholicarum Studiorum Universitatum Cancellarii a Nobis nominati atque instituti utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, tribuimus atque elargimur. Singulis praeterea, qui memoratos gradus academicos, et ipsam doctoris lauream ab alterutro Collegio theologico *servatis servandis*, fuerint assequuti, postquam fidei professionem a fel. rec. Pio IV Praedecessore Nostro praescriptam rite emiserint, omnia et singula deferimus

iura, privilegia, praerogativas, indulta voce quavis designanda et Apostolica vel imperiali aut regia concessione tributa, quibus a iure vel consuetudine utuntur, fruuntur vel uti ac frui possunt et poterunt qui supradictos gradus et lauream in quacumque Studiorum Universitate rite obtinuerint. Decernentes has Literas Nostras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in futurum, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices, Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quamvis speciali et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die I Decembris MDCCCLXXVI. Pontificatus Nostri Anno XXXI.

F. Card. Asqvinivs.

EPISTOLA

VENERABILIBVS FRATRIBVS
STEPHANO EPISCOPO LAVSANENSI
ALIISQVE EPISCOPIS HELVETIAE, EIVSDEMQVE REGIONIS
DILECTIS FILIIS, CLERICIS ET FIDELIBVS
GRATIAM ET COMMVNIONEM
CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS

PIVS PP. IX.

VEN. FRATRES ET DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ea quae evenerunt in ista Helvetica Regione elapso Septembri mense, quo sacrilega consecratio temere impleta est cuiusdam pseudo-Episcopi, quem neo-haeretici, qui se veteres catholicos dicunt, sibi constituere non dubitarunt, merito Vos, Ven. Fratres, summo dolore affecerunt, ac excitarunt, ut vestras voces contra huiusmodi execrabile facinus et scandalum fideli populo illatum communi consilio attolleretis. Omnino enim dignum fuit vigilantia et sollicitudine vestra, ut Vos detestantes impios illos ausus, quidquid est ecclesiasticae Hierarchiae nonnisi in

angulari lapide atque in Apostolicae Petrae soliditate fundatum erigi ac stare posse ostenderetis, et tamquam vindices verae fidei ac defensores Catholicae unitatis fidelium vestrorum animos ad vitandas insidias et molimina filiorum perditionis opportuna et gravi declaratione, quae exacto Septembri mense a Vobis est edita, muniretis. Etsi enim memoratam neo-haereticorum sectam, quae patriam vestram misere pervasit, ac perturbat, in litteris ad Vos datis die 24 Martii superiore anno omnino reprobavimus ac damnavimus, ea tamen non modo ab incoeptis non desistit, sed imo in suis iniquis consiliis pergens nullum fraudis et artis genus omittit, ut Catholicae Ecclesiae filios sua hypocrisi et catholici nominis usurpatione decipiat, et in consortium suae pravitatis adducat. Nunc vero ut scimus eiusdem haereticae et schismaticae sectae asseclae iniquitati et temeritati suae novum scelus adiicere non reformitantes, notorium quemdam a catholica fide Apostatam Eduardum Herzog e pago Lucernensi ab legitimo Ordinario suo excommunicationi subiectum produxerunt, quem conventu habito Ultini suum Episcopum proclamarunt, ac deinde per Pseudo-Episcopum Iosephum Ubertum Reinkens a Nobis iampridem ab Ecclesiae communione segregatum in oppido Rhenofeldensi sacrilega caeremonia consecrari curarunt. Hic autem infelix post sacrilegam consecrationem acceptam veritus non est, ut ad Nos perlatum fuit, litteras in vulgus edere, quibus sanctam hanc Sedem impudenter impetit, et Catholicum Helveticae Clerum ad rebellionem exci-

tare studet: ac propterea omni legitima missione et iurisdictione carens, nonnullis e sectatoribus pravitatis suae Sacerdotalem Ordinem conferre praesumpsit.

Huiusmodi electionis et consecrationis nefarium facinus quam acerbum Vobis fuerit, quam indignum, quam deplorabile Vos optime ostendistis, Ven. Fratres, in eadem superius memorata declaratione, in quā de fundamento haereticae et schismaticae factionis quam impietas et insania perditorum hominum in ista regione excitare conata est, de miseris presbyteris qui ecclesiasticis poenis et censuris obstricti, et gratia ordinationis suae conculcata ei nomen dederunt, de eo qui illegitima consecratione accepta non per ostium sed aliunde accedens uti fur et latro dat operam, ut Christi gregem dividat ac disperdat, opportune disseruistis. At una cum vobis Nos etiam gravem acerbitatem hausimus, et intimo dolore affecti sumus considerantes sacrilegia et gravissima scandala admissa, ac audaciam qua praevaricatores veritatis et catholicae unitatis perturbatores in perniciem animarum incumbunt, de qua quidem gravem rationem Supremo Iudici sunt redituri, ac reputantes praeterea eos favore et patrocinio frui, dum legitimi Pastores Episcopus nempe Basileensis et Vicarius Apostolicus Genevensis, alter a magna parte sui gregis divulsus, alter in exilium eiectus suum ministerium exercere prohibentur. Haec impia, gravia, et funestis fecunda fructibus facinora quae in ista regione patrata sunt, quaeque vobis et omnibus bonis moerori magno fue-

runt, et Ecclesiae Dei nova vulnera inflixere, Nos auctoritate Nostra Apostolica palam damnamus ac reprobamus, ac agnoscentes Supremi Nostri Ministerii munus, quo fidem Catholicam et universalis Ecclesiae unitatem tueri tenemur, Decessorum Nostrorum sacrarumque legum morem atque exempla sequuti, tradita Nobis a coelo potestate primum electionem memorati Eduardi Herzog in Episcopum contra sacrorum canonum sanctiones factam, illicitam, inanem et omnino nullam, ac eius consecrationem sacrilegam decernimus, declaramus, reiicimus et detestamur. Deinde ipsum Eduardum Herzog, et qui eum eligere attentarunt, ac Pseudo-Episcopum Hubertum Reinkens sacrilegum consecratorem eiusque assistentes qui sacrilegae consecrationi operam praestiterunt, nec non quicumque iisdem adhaeserunt eorumque partes secuti opem, favorem, auxilium aut consensum praebuerunt, auctoritate Omnipotentis Dei excommunicamus et anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos, et ut prorsus schismaticos habendos esse edicimus et denunciamus. Decernimus praeterea ac declaramus ipsum temere nulloque iure electum Herzog omni ecclesiastica et spirituali iurisdictione pro animarum regimine carere, ac illicite consecratum ab omni exercitio episcopalis ordinis esse suspensum. Qui autem ab ipso ecclesiasticis ordinibus initiati fuerint, ii noverint suspensionis vinculo se obstrictos, atque irregularitati praeterea obnoxios, si susceptos Ordines exercuerint.

Quod vero ad Vos attinet Dilecti Filii ecclesia-

stici Viri, Laicique fideles Helveticae regionis, Vobis in Domino gratulamur pro ea sincera fide et pietate, qua certantes contra diabolum, et contra insidias ministrorum eius, Ecclesiae Matri et huic Apostolicae Cathedrae firmiter adhaeretis, ac pro vestra virtute summas gratias divinae benignitati persolvimus. Adveniat tempus cum impii discent quid ipsis profuerit malitia sua, et cum Vos contra intelligetis quid Vobis aeterni gaudii et immortalis gloriae constantia vestra pepererit. Sed haec constantia, Dilecti Filii, in medio certamine perseveranter est retinenda, nec unquam committendum, ut scandalis permanentibus quae uti scriptum est necesse est ut veniant, ea labefactetur et corruat. « Deus unus est, S. Cyprianus ait, Christus unus, et una Ecclesia, et Cathedra una super petram Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut sacerdotium novum fieri, praeter unum altare et unum sacerdotium non potest. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcumque humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, et sermones eorum velut cancer et pestem fugiendo vitate, praemonente Domino et dicente: caeci sunt duces caecorum: caecus autem caecum ducens simul in foveam cadent » (1). Quoniam autem nihil Nobis optabilius esset, quam

---

(1) S. Cyprianus Ep. 43.

si animas errantium a potestate tenebrarum erutas lucrifacere Redemptore nostro possemus, hinc divinam bonitatem enixe adprecari non omittimus, ut eorumdem errantium contumaciam sua potenti gratia flectere dignetur, ac praesertim si qui sunt ex ipsis qui nondum penitus infixi manent in limo profundi eorum corda permoveat, ne praecipites ruant cum eis qui se satanae devoverunt. Hunc in finem et Vos, Ven. Fratres ac Dilecti Filii, precum vestrarum officium constanter esse adhibituros apud Deum non dubitamus.

Caeterum Vobis plenitudinem caelestium luminum, gratiarum et munerum fervide a Domino implorantes, Eumque suppliciter rogantes, ut eorum molimina qui catholicam fidem et unitatem in patria vestra corrumpere moliuntur, irrita faciat et confundat, Apostolicam Benedictionem in pignus praecipuae caritatis Nostrae Vobis, Ven. Fratres et Dilecti Filii, peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 6 Decembris An. 1876.

Pontificatus Nostri Anno XXXI.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI
AD PERPETVAM REI MEMORIAM

ERECTIO CATHOLICAE UNIVERSITATIS INSULIS IN CAMERACENSI DIOECESI

Ad catholicae Ecclesiae gubernacula, nullis nostris meritis, sed arcano divinae voluntatis consilio sedentes Nostri muneris esse dignoscimus ubique terrarum, ea ratione, quae magis in Domino expedire videtur, omni cura et industria sacrarum eisque ancillantium bonarum literarum studia fovere ac tueri, per quae, depulsis ignorantiae tenebris, mentes divinae veritatis luce collustrantur et nedum catholicae Fidei, sed etiam rectae procurationi iustitiae aliisque publicarum et privatarum rerum usibus et ornamentis prospicitur.

Iamvero nuper Venerabiles Fratres Renatus Franciscus tituli SSmae Trinitatis in Monte Pincio S. R. E. Praesbyter Cardinalis Regnièr nuncupatus, ex dispensatione Nostra Archiepiscopus Cameracensis, nec non Ioannes Baptista Lequette Episcopus Atrebatensis a libertate docendi sibi tandem a civili Gubernio, saltem ex parte, restituta, occasio-

nem nacti, precibus omnibus ab hac Apostolica Sede efflagitarunt, ut Insulis loco illustri, domibus referto et commerciis florente, quo et advenae frequentes conveniunt, in civium et finitimarum civitatum commodum catholicam Universitatem condere et constituere vellemus. Animadvertentes enim viri prudentissimi aeque ac sapientissimi tot et tam gravia mala, quibus miserrimis hisce temporibus non minus civilis, quam religiosa societas undique premitur non aliunde ortum duxisse nisi ab amota in instituenda et educanda iuventute Ecclesiae catholicae salutifera vi et directione, ubi primum fieri potuit mentem animumque suum optimi Praesules ad id potissimum applicuerunt, ut illic scholae sub eiusdem Ecclesiae vigilantia et auctoritate paterent, in quibus ad veram germanamque scientiam cum fide et pietate coniunctam iuventus informaretur.

Quamobrem nulli curae nullique industriae parcentes iidem Venerabiles Fratres, ipsi primum cohortationibus et exemplo, deinde alii plurimi tum ordinis ecclesiastici tum laicalis coetus viri praeclarissimi de catholica Ecclesia optime sentientes, collatis consiliis, viribus sumptibusque conspirarunt, ut scientiis doctrinisque tum tradendis tum addiscendis tranquillum domicilium necessariis adminiculis instructum adpararent. Tanto autem praememorati Venerabiles Fratres novum hoc Institutum erga Apostolicam Sedem cultu et veneratione obstrictum voluere, ut nedum in sana fidei doctrina amplectenda et tuenda constans permaneret, sed etiam sapientissime, ut par erat, statuerunt, ut per-

fectam obedientiam animique subjectionem huic B. Petri cathedrae catholicae veritatis et unitatis centro, in omnibus exhiberet. Probe enim noverunt nullum aliud efficacius remedium innumeris extirpandis erroribus, qui scientias hisce diebus pervadunt, quique universam civilem societatem tot ac tantis periculis obiiciunt, seu potius ad extremam perniciem impellunt, praeter istam cathedrae falli nesciae arctam perfectamque adhaesionem, suppetere posse.

Nos igitur eorum precibus inclinati et quae ad hanc diem gesta sunt laeto lubentique animo comprobantes et sperantes futurum, ut praeclarum istud opus lectos uberesque fructus quamprimum adducat; maximi habentes eximiam liberalitatem, sinceram puramque fidem et singularem prorsus erga Nos et hanc Apostolicam Romanam Sedem devotionis affectum tum Venerabilium Fratrum Archiepiscopi Cameracensis et Episcopi Atrebatensis, tum reliquorum omnium Christifidelium, qui, communi bono ob oculis sibi posito, ad huiusmodi institutionem se ministros aut comites praebuerunt; Nostraeque in eos benignitatis testimonium proferré desiderantes; audito quoque voto Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sac. studiorum Congregationi praepositorum, Auctoritate Nostra Apostolica deque Potestatis plenitudine, catholicam studiorum Universitatem Insulis, Cameracensis dioeceseos inclyta urbe, conditam, ubi Theologia, Iurisprudentia, Medicina, Philosophia et Literae, Scientiae phisicae et mathematicae traduntur, perpetuo erigimus, instituimus et confirmamus ad instar caeterarum ce-

lebriorum Universitatum, quas Praedecessores Nostri et Nos ipsi ereximus, instituimus et confirmavimus.

In praedicta vero Universitate sic erecta statuimus, ut iugiter adsit Cancellarius per Nos seu Successores Nostros Romanos Pontifices denominandus, qui Nostram Personam referat. Ad hoc autem munus iam pro hac vice Litteris Nostris sub forma Brevis Venerabilem Fratrem Henricum Monnier Episcopum Lyddensem in part. Infid. destinavimus ac nominavimus cum omnibus iuribus, honoribus et privilegiis huiusmodi officio adnexis, eidemque et successoribus speciatim potestatem fecimus ut doctores creet, instituat et honoris gradus conferat sive per se sive per alium, secundum istius Universitatis leges et memoratae Nostrae Sac. Congregationis decreta. Rectori etiam, Professoribus, Magistris caeterisque Officialibus pro tempore existentibus atque iis Universitatis Alumnis, qui, praevio tum scientiae tum probitatis examine, honoris gradus et doctoris titulum consequuti de more fuerint, omnia et singula iura libertates et privilegia respective concedimus, quibus ii utuntur, fruuntur ac gaudent, qui in aliis Universitatibus a Nobis vel a Decessoribus Nostris institutis et canoniee confirmatis huiusmodi officia vel academicos gradus seu doctoris titulum et nomen promeriti fuerint.

Decernentes hasce Nostras Litteras et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes seu habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obre-

ptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quolibet etiam substantiali defectu, notari impugnari vel alias infringi, aut quomodolibet retractari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari posse, seu etiam adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque iuris vel facti aut iustitiae remedium impetrari, sed semper et perpetuo validas, firmas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab omnibus, ad quos spectat et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari, ac dictae Universitati, ut praefertur erectae, illiusque personis perpetuo suffragari debere: sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos, etiam Palatii Apostolici Auditores ac etiam S. R. E. Cardinales censeri, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac si secus semper his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane declaramus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Nostrae regulis, nec non dictae Universitatis, etiam confirmatione Apostolica, seu alia quavis firmitate roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et concessionibus, quamvis expressa specifica et individua mentione dignis, quibus omnibus et singulis, eorumque totis tenoribus, praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiasticae dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, institutionis, confirmationis, reservationis, indulti, concessionis, derogationis et voluntatis infringere, vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo sexto. — XVII Kalend. Ianuar. — Pontificatus Nostri Anno XXXI.

A. Card. VANNICELLI Pro-Dat.
F. Card. ASQVINIVS.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI

CLAVDIO MARIAE EPISCOPO

ANNECIENSI

PIVS PP. IX.

VEN. FRATER

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Quae utilitatem Ecclesiae et spirituale animarum bonum respiciunt, ad ea curas et sollicitudines Nostras libenter convertimus, ut supremi ministerii Nobis commissi partes fideliter impleamus. Iam vero tuis litteris ad Nos datis die 24 elapsi Septembris Nobis exposuisti, Ven. Frater, locum seu oppidum vulgo *Gaillard* in territorio isto Sabaudo positum, quod cum alia Fidelium parte coniunctum in territorio Genevensi consistentium, unam Paroeciam constituebat *De Thonex* nuncupatam, ac Dioecesi Lausannensi et Genevensi in spiritualibus subiectam,

Nobis annuentibus et consentiente Ven. Fratre Gaspare Vicario Apostolico Genevensi ad cuius iurisdictionem praedicta Paroecia pertinebat ob graves causas a die 11 Aprilis superiori anno tuae spirituali potestati et regimini esse commissum, ac a Nobis in iisdem litteris postulasti, ut huic administrationi praedicti loci *Gaillard* rite ac stabili modo constituendae supremae Nostrae auctoritatis sanctionem adiiceremus. Cum de negotio agatur quod ad incolumitatem Fidelium et ad maiorem eorum utilitatem procurandam pertinet postulationi tuae, Ven. Frater, annuendum in Domino iudicavimus. Nos itaque rationem habentes tristis conditionis cui fideles supradicti loci *Gaillard* erant obnoxii ob gravem persecutionem, quam in Helvetica regione Ecclesia Dei sustinet, ac opportuniori et commodiori rei sacrae procurationi in supradicto loco iuxta eorumdem fidelium vota consulere cupientes, Apostolica Nostra auctoritate per praesentes litteras fideles loci *Gaillard* in territorio Sabaudo consistentes a spirituali administratione Vicariatus Apostolici Genevensis seiungimus et separamus, ex iisdem novam Paroeciam erigimus, et eam Dioecesi Anneciensi sub spirituali regimine Anneciensis Episcopi in perpetuum adiungimus et incorporamus non obstantibus Apostolicis litteris super erectione Sedis Anneciensis, aliisque speciali etiam et individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque. Dum haec decernimus et statuimus, Ven. Frater, confidimus Religionis bonum et incrementum quod unice spectamus Nos feliciter in istis par-

tibus in dies magis assecuturos tuo pastorali zelo cooperante, quem probe perspectum et exploratum habemus. Uberrima demum caelestium gratiarum munera Tibi, et concredito tuis curis gregi a Domino enixe implorantes, Apostolicam Benedictionem in pignus dilectionis Nostrae Tibi, cunctoque Clero ac Fidelibus quibus praesides, peramanter et ex corde impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 20 Decembris An. 1876.

Pontificatus Nostri Anno XXXI.

PIVS PP. IX.

DECRETVM

Quod a priscis Ecclesiae temporibus semper fuit in more, ut christifidelibus certa proponeretur ac determinata formula, qua fidem profiterentur, atque invalescentes cuiusque aetatis haereses solemniter detestarentur, idipsum, sacrosanta Tridentina Synodo feliciter absoluta, sapienter praestitit Summus Pontifex Pius IV, qui Tridentinorum Patrum decreta incunctanter exequi properans, edita Idibus Novembris 1564 Constitutione *Iniunctum Nobis*, formam concinnavit professionis fidei recitandam ab iis, qui cathedralibus et superioribus Ecclesiis praeficiendi forent, quive illarum dignitates, canonicatus, aliaque beneficia ecclesiastica quaecumque curam animarum habentia essent consecuturi, et ab omnibus aliis, ad quos ex decretis ipsius Concilii spectat: nec non ab iis, quos de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium, quocumque nomine vel titulo provideri contigeret. Quod et alia Constitutione edita eodem die et anno incipiente, *In sacrosancta* salubriter praeterea extendit ad omnes

doctores, magistros, regentes, vel alios cuiuscumque artis et facultatis professores, sive clericos sive laicos, vel cuiusvis ordinis regularis, quibuslibet in locis publice vel privatim quoquomodo profitentes, seu lectiones aliquas habentes vel exercentes, ac tandem ad ipsos huiusmodi gradibus decorandos.

Iam vero, cum postmodum coadunatum fuerit sacrosanctum Concilium Vaticanum, et ante eius suspensionem per Literas Apostolicas *Postquàm Dei munere* diei 20 Octobris 1870 indictam, binae ab eodem solemniter promulgatae sint dogmaticae Constitutiones, prima scilicet de Fide Catholica, quae incipit *Dei Filius*, et altera de Ecclesia Christi, quae incipit *Pastor aeternus*, non solum opportunum, sed etiam necessarium diiudicatum est, ut in fidei professione dogmaticis quoque praememorati Vaticani Concilii definitionibus, prout corde, ita et ore publica solemnisque fieri deberet adhaesio. Quapropter SSm̃us D. N. Pius Papa IX, exquisito ea desuper re voto specialis Congregationis Em̃orum S. R. E. Patrum Cardinalium, statuit, praecepit, atque mandavit, ceu per praesens decretum praecipit ac mandat, ut in praecitata Piana formula professionis fidei, post verba « *praecipue a sacrosanta Tridentina Synodo* » dicatur « *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio,* » utque in posterum fidei professio ab omnibus, qui eam emittere tenentur, sic et non aliter emittatur, sub comminationibus ac poenis a Concilio Tridentino et a supradictis Constitutionibus

S. M. Pii IV statutis. Id igitur ubique, et ab omnibus, ad quos spectat, diligenter ac fideliter observetur, non obstantibus etc.

Datum Romae e secretaria S. Congregationis concilii die 20 Ianuari 1877.

P. CARD. CATERINI PRAEFECTVS.

J. Archiepiscopus Ancyranus *Secretarius.*

Professio orthodoxae Fidei iuxta formam a Summis Pontificibus Pio IV et Pio IX praescriptam.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet: credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei Unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub

Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Idem sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium, illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et

singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosanta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detextas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario vera obedientiam spondeo ac iuro.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosanta

Tridentina Synodo, et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reiicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et hac sancta Dei evangelia.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS IOANNI ACQVADERNI PRAESIDI,

TOTIQVE CONSILIO SVPERIORI

SOCIETATIS IVVENTVTIS CATHOLICAE

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Non sine moerere accepimus, Dilecti Filii, esse inter vos contentiones; cum alii illecti doctrinis fautorum conciliationis, arbitrentur, ex humilioribus susceptis operibus animum iam ad altiora erigendum esse, convertendumque ad occupanda publicorum conventuum subsellia, e quibus consuli valeat, gravioribus et generalibus Ecclesiae negociis: aliis vero memores, se in subsidium coaluisse Ecclesiae, censeant, tenendam sibi esse viam ab ecclesiastica

auctoritate designatam, et ea provehenda sibi potissimum esse, quae, ipsa suadente aut probante, susceperunt, donec eadem Auctoritas aliter agendum suadeat. Iam vero, cum haec Auctoritas nondum definiverit, liceat nec ne, et quo pacto, praesertim pro ditione Nostra, publicis se ingerere negociis, probare profecto nequimus illorum consilium, qui sacrae auctoritati placitum antevertentes, eam potius praeeundam, quem sequendam existimant. Quod sune consilium, nunc saltem inopportunum, ea etiam de causa displicet, quod non immerito vereamur ne satan se transfiguraverit, hoc in casu in angelum lucis. Et sane, si mentem adiiciatis ad indolem operum a societate vestra institutorum, ea spectare videbitis, vel ad sanam iuventutis institutionem, vel ad fovendam religionem in populo, vel ad ipsum avertendum ab insidiis errorum vel ad servandos christianae eius educationi levitas a militari conscriptione redemptos, vel ad explicanda tuendaque Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis iura, vel ad occurrendum necessitatibus cultus, sacrorumque ministrorum, vel ad alia, quae fidem confirmare, caritatem incendere, promovere pietatem, virtutes alere, submovere pericula, et animum addere valeant in adversis. Salutare autem hoc consilium a paucis initum et ad pauca propterea porrectum opera, adeo placuisse Deo experimini, ut, Ecclesia benedicente, brevi foecundatum et novis semper auctum accessionibus, totam brevi pervaserint Europam et exteras quoque regiones, in amplissimum religiosae rei et animarum emolumentum; variasque illas societa-

tes excitaverit, quae spiritum catholicum tam belle referunt, unitatemque religiosam in populis tam valide confirmant. Haec certe arridere nequibant Christi et humani generis hosti; qui coeptis idcirco huiusmodi consociationum tot ubique difficultates obvertit earumque sodales calumniis, insectationibus, contumeliis lacessivit. Cum tamen per haec omnia constantiam earum et vestram nec labefactare posset, nec commovere, iam in lucis angelum conversus, schismata inter vos erit, ut vires dividat, altiusque proponit bonum, ut ab eo, quod agitis, recedatis. Quod sane suppositicium bonum nec ubvium nec certum facile existimabitis, si illi mentem serio adiicietis. Omnium quotidie versantur ob oculos puplicarum electionum exitus, et acta publicorum coetuum apud exteras nationes. E prioribus autem discimus, perditos ut plurimum honestis praeferri, et ex alteris, licet catholici praestantes, magnaeque apud populos auctoritatis, iustitiae causam egregie tueantur, passim sanciri leges Ecclesiae adeo infensas, ut si ipsa divinum opus non esset, subvertenda plane viderentur. Certae igitur utilitati incerta praeponitur, et eo magis anceps, quod non cum errore mentium sit confligendum; sed cum hostili plerorumque suffragatorum voluntate religionis odio succensa. Ceterum, obsequium sacrae auctoritati debitum omnino postulat, ut laicae consociationes non illam in suam sententiam trahere nitantur, sed ut ipsius monita sequi studeant, ne a tuta recti semita deflectant. Nemini vero probabitur, quod, obtentu nobilioris fructus, ea, uti vilia, deserantur ope-

ra, quae in verum animarum bonum invecta, multos ab errore revocarunt, multos servarunt, arctioribusque vinculis unitatis obstrinserunt populos; et quae Christi sanctorumque exemplum nituntur, qui pro spirituali hominum salute animam ponere non dubitarunt. Hortamur itaque vos universos, ut decipi non sinatis a pseudo-sapientium consiliis, firmique perseveretis in proposito vestro, et curetis ut schismata non sint in vobis; sitis autem omnes perfecti in eodem sensu et in eadem sententia. Deus pacis et caritatis vobis adiiciat gratia sua, vestramque concordiam et unanimitatem restituat et confirmet in suam gloriam, Ecclesiae provectum, et veram fidelium utilitatem. Ac interim favoris eius auxpex sit vobis Apostolica Benedictio, quam paternae nostrae benevolentiae testem vobis singulis, Dilecti Filii, totique, cui praeestis, catholicae consociationi peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 29 Ianuarii Anno 1877.

Pontificatus Nostri Anno Trigesimoprimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Iamdiu factum est quum Venerabiles Fratres secundae Synodi Provincialis Australiae in urbe Melburnensi habitae a Nobis petiere, ut quod Catholico nomini in remotissimis illis plagis propagando ac silvestrium illarum gentium aeternae saluti procurandae bene, prospere, feliciterque eveniret, Vicariatum Apostolicum in nimis lata dioecesi Brisbanensi interposita Apostolica Nostra Auctoritate erigeremus. At enim cum nondum ea comperta omnia haberemus, quae necessaria videbantur, de consilio etiam Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis propagandae Fidei praepositorum, Vicariatus istiusmodi erectionem ad hanc usque diem distraximus. Nunc vero singulis atque universis, quae in rem erant cum iisdem Venerabilibus Fratribus sedulo attenteque perpensis,

haec, quae infra scripta sunt, decernenda censuimus. Itaque certa scientia, matura deliberatione, Auctoritate Nostra Apostolica Vicariatum Apostolicum eumque potissimum pro convertendis indigenis, in Dioecesi Australiae Brisbanensi tenore praesentium erigimus atque ei nomen de Queensland facimus. Hisce autem terminis circumscribetur; scilicet ad Meridiem, linea recta ducta ab extremo Meridionali puncto Insulae « Kinchinbroock » ad fines Orientalis dioecesis Adelaidensis; qui incidunt in decimum octavum gradum cum dimidio Latitudinis Orientalis; ad Orientem mari Pacifico; ad Aquilonem sinu Carpentariae, vulgo « Gulf of Carpentaria » qui nominatur; ad Occidentem, finibus Orientalibus dioecesis item Adelaidensis. Tandem novam hanc Missionem curis committimus Alumnorum Seminarii pro exteris Missionibus sub invocatione Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli quod novissime in hac Alma Urbe Nostra constituimus; pro certo habentes qui inde in hanc Messem mittentur Operarii Dominicum Agrum adeo naviter solertesque exculturos, ut expectationi Nostrae cumulatissime respondeant. Haec statuimus, mandamus, edicimus decernentes praesentes Nostras Literas firmas fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocunque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate

scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Apostolici ac in Universalibus Provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae Brisbanen etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis Apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis et aliis Decretis in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro expressis et de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXX Ianuarii MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri Anno XXXI.

F. Card. Asqvinivs.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
FELICI EPISCOPO AVRELIANENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sicut aere pestilentia corrupto, plerique miasmate inficiuntur, Venerabilis Frater, sic propagatis praeteriti saeculis doctrinis, perniciosa passim moralis hausti virus erumpunt ubique symptomata, in publicis nationum conventibus in primis perspicua. In quibus, cum ut plurimum homines noxiis illis imbuti principiis numero praestent aliis severius ac solidius institutis, haud raro contingit, ut rogentur ac sanciantur leges religioni catholicae prorsus infensae. Hinc modo, publici compendii obtentu sumptus cohibentur cultus; modo necessaria resecatur sacrorum ministrorum copia; modo levitis praecluditur ad sacerdotium aditus, modo Clerus a sui officii exercitio deterretur per inopiam; scilicet, ut sana et pia institutio evertatur a populo et militia. Licet itaque Gallia religione clarescat, maximamque

procerum et populi sui partem addictissimam ei praedicare possit, ac simul Episcopis instruatur pastorali zelo succensis, cleroque operoso, pio, ad omnia parato pro salute animarum; mirum non est, istic etiam, ubi superiori aetate primum novi iuris obducta pallio, perstrepuit exitiosa doctrina similes haberi praeiudicatae opiniones effectus. Nobilissimum tamen censendum est, quod, eximio oratore obvertente ob oculos iniuriam iustitiae, dedecus patriae, detrimenta populo illata per inconsulta placita, ea revocata fuerint, summoque illi debetur commendatio, qui adversas voluntates flectere voluit et ad aequitatis leges revocare. Tibi igitur gratulamur, qui arduum id opus erecto animo aggressus, feliciter absolvere potuisti in religionis tutelam, patriae honorem et veram populi utilitatem. Novo hoc beneficio a divina misericordia Galliae per te concesso gaudemus, amplioraque semper illi superni favoris testimonia adprecantes, eorum auspicem tibi Venerabilis Frater, ipsique toti Benedictionem Apostolicam praecipuae Nostrae benevolentiae pignus peramanter impertimus. Datum Romae apud S. Petrum 5 Februarii 1877. Pontificatus Nostri Anno tricesimoprimo.

PIVS PP. IX.

ALLOCVTIO

HABITA

DIE XII MARTII MDCCCLXXVII

AD S. R. E. CARDINALES

IN AEDIBVS VATICANIS

VENERABILES FRATRES

Luctuosis exagitati Nostri Pontificatus temporibus pluries vestrum amplissimum ordinem in has aedes advocavimus, ea mente ut gravia mala apud Vos deploraremus quibus Ecclesia indigne affligitur, et contra ea quae sive in Italia sive in aliis regionibus in perniciem Ecclesiae ac Sedis Apostolicae patrata sunt, Nostras protestationes ederemus. Novissimis vero hisce annis novos et violentiores usque ad impetus atque iniurias spectare debuimus, quas Ecclesia Dei in variis Orbis catholici partibus pertulit ab infensis hostibus, qui opportunam satis occasionem Iesu Christi Sponsam oppugnandi reputaverunt calamitosam conditionem rerum nostrarum, et solitudinem eam, in qua Nos omni humana ope destituti versamur. Optassemus quidem hodierna die Venerabiles Fratres menti et cogitationi vestrae proponere immanem hanc

lateque diffusam persecutionem, quae in pluribus Europae regionibus contra Ecclesiam saevit, sed habentes in animo acerbam hanc descriptionem alio Vobis tempore exhibere, interim facere non possumus, quin Ecclesiae in hac Italia labores et vexationes in dies asperiores Vobis commemoremus, ac pericula, quae quotidie maiora Nobis et huic Apostolicae Sedi impendere conspicimus, aperiamus.

Septimum iam procedit annus, ex quo invasores civilis Nostri Principatus, omnibus divinis ac humanis iuribus proculcatis, solemnium pactionum fide violata, et calamitates illustris Nationis catholicae opportunitatem suam reputantes, vi atque armis provincias, quae in nostra potestate adhuc erant, occuparunt, hanc sanctam civitatem expugnavere, ac tantae iniquitatis opere Ecclesiam universam luctu ac dolore compleverunt. Simulatae atque infidae promissiones, quas iis funestis diebus ipsi super rebus nostris Guberniis exteris obtulere, declarantes se velle obsequium et honorem reddere libertati Ecclesiae, et liberam ac plenam esse velle Romani Pontificis potestatem, efficere non potuerunt ut Nos vana spe illecti non penitus praeciperemus animo, quae luctuosa ac misera Nos sub eorum dominatione manerent; quin probe conscii consiliorum impiorum, quae propria sunt hominum, quos novarum rerum studia et sceleratum foedus consociat, aperte praenunciavimus eam sacrilegam invasionem non tantum spectare ad civilem Nostrum Principatum opprimendum, qnantum ad destruendas facilius, temporali nostra dominatione oppressa, institutiones

omnes Ecclesiae, ad evertendam Sanctae Sedis auctoritatem, ad vicariam Christi potestatem, quam licet immerentes gerimus in terris, omnino labefactandam.

Iamvero hoc opus demolitionis et eversionis omnium rerum quae pertinent ad ecclesiasticum aedificium atque ordinem, si non quoad consilia ac odium persecutorum, quoad gravissimas tamen ruinas, quas usque ad hanc diem concesserunt, pene consummatum dici potest; ac satis est oculos convertere ad leges et decreta ab initio novae dominationis huc usque edita, ut luculenter perspiciatur Nobis singillatim ac sensim alia ex aliis in dies media et praesidia fuisse sublata, quibus ad catholicam Ecclesiam, ut par est, regendam et gubernandam omnino indigemus. Enimvero iniquitas quae completa est supprimendis ordinibus religiosis, Nos strenuis ac utilibus adiutoribus damnose spoliavit, quorum opera in expediendis ecclesiasticarum Congregationum negotiis, in tot partibus ministerii Nostri exercendis Nobis omnino necessaria est, ac eodem tempore hic in urbe nostra tot domicilia delevit, quae religiosos viros ex exteris nationibus excipiebant, qui statis temporibus in hanc metropolim convenire consueverant ad roborandum spiritum, ad rationes de suo ministerio reddendas, atque ab ipsis radicibus crudeliter abscidit tot utiles et feraces plantas, quae fructus benedictionis et pacis in omnes terrae plagas efferebant. Eadem autem suppressionis iniuria, quae Collegia perculit pro sacris missionibus in urbe constituta ad dignos operarios effor-

mandos, qui Evangelii lucem in dissitas etiam et inhospitas terras animose proferrent, ea misere subduxit tot populis tam salutare pietatis et caritatis auxilium magno cum detrimento ipsius civilis humanitatis et cultus; qui a Religionis nostrae sanctitate, doctrina, virtute dimanat. Huiusmodi vero leges per se acerbissimae et non solum Religionis, sed ipsius humanae societatis utilitati perquam adversae, maiorem etiam acerbitatem deinde accepere ex novis ordinationibus rei publicae ministrorum, quibus religiosarum familiarum communi in domo consociationes et novae admissiones pro regularibus utriusque sexus sub severis sanctionibus prohibentur. Disiectis Ordinibus religiosis, Clero saeculari destruendo consilia et opera conversa sunt, ac funesta ea lex lata fuit qua Nos et Pastores italici populi magno cum luctu videre debuimus iuvenes clericos, Ecclesiae spem, a sanctuario nequiter avulsos, et coactos aetate ipsa qua se Deo solemniter consecraturi sunt, saecularis militiae balteum accipere, ac vitae genus perferre, quod ad institutis et a spiritu vocationis eorum longissime abhorret. Quid plura? Subsecutae sunt aliae iniustae leges quibus universum patrimonium, quod Ecclesia sacris, diuturnis, inviolabilibus titulis possidebat magna ex parte fuit ereptum, substitutis eius loco ac ex parte tantum exiguis reditibus, qui ancipitibus temporum vicibus, et voluntati ac arbitrio publicae potestatis penitus subiiciuntur. Deplorare etiam coacti fuimus magno numero aedificia, quae pietas fidelium gravibus admodum sumptibus toleratis erexerat, quae

christianis Romae temporibus digna erant, quaeque pacatum hospitium praebebant virginibus Deo devotis aut Regularium familiis, indiscriminatim legitimis possessoribus eiectis occupata fuisse, et in profanos usus destinata. Adempta insuper fuerunt potestati Nostrae, et sacrorum ministrorum curationi, tot pia opera et instituta caritati ac beneficentiae exercendae consecrata, quorum nonnulla egestati aliisque miseriis et necessitatibus sublevandis mira munificentia ipsi Romani Pontifices Praedecessores Nostri et exterarum gentium pia liberalitas condiderant; ac si qua ex iis publicae caritatis operibus adhuc sub Ecclesiae vigilantia manent, lex quaedam non serius roganda esse fertur, qua illa a Nobis subtrahantur aut funditus aboleantur, veluti publica documenta non dubie nec obscure praenunciant. Vidimus praeterea, idque anima Nostra supra omnem modum dolore perculsa commemoramus, Ecclesiae auctoritati et moderationi subductum publicum ac privatum doctrinarum et artium magisterium, et docendi munus concreditum hominibus suspectae fidei, aut apertis Ecclesiae inimicis et qui non dubitarunt atheismi impietatem publice profiteri.

Occupatis hac ratione et eversis tot religiosis magnique momenti institutionibus, id non satis visum est filiis Ecclesiae desertoribus nisi etiam impedimenta ponerent sanctuarii Ministris ne suum spirituale ministerium valeant libere exercere; atque huc etiam nefarie perventum est ea lege in aula oratorum legibus ferendis novissime approbata, quae de *Cleri abusibus* inscribitur, cuius vigore

crimini et noxae vertuntur Episcopis itemque sacerdotibus, ac gravibus poenarum sanctionibus mulctantur ii actus, quos sub insidioso nomine perturbationis conscientiae quam dicunt publicae, aut pacis familiarum praedictae legis auctores complectuntur. Eius porro quam innuimus legis iussu, verba ac scripta omnis generis quibus Religionis administri decreta leges aut alium quemque publicae auctoritatis actum vel rei sacrae iuribus, vel Dei aut Ecclesiae legibus adversantem, pro sui officii ratione notandum ac improbandum censeant, animadversioni et poenis perinde subiiciuntur, ac opera illorum qui praedicta scripta ediderint aut diffuderint, quocumque ex ordine ecclesiasticae auctoritatis, aut ex loco ipsa manaverint. Ubi haec lex perlata et promulgata fuerit integrum erit laico tribunali iudicium ferre, utrum ac quomodo sacerdos in sacramentis administrandis in divini verbi praedicatione conscientiam publicam et domesticam tranquillitatem perturbaverit, ac episcopalis et sacerdotalis vocis ea erit conditio ut ea comprimatur aut obstruatur, non minus quam vox ipsa Iesu Christi Vicarii, qui quamvis in se ipso nulli animadversioni obnoxius dicatur ob rerum politicarum rationes, in persona tamen eorum qui eius noxae affines fuerint puniendos esse censetur, uti publicus regni administer in conventu legumlatorum palam significare non dubitavit, cum respectu ad Nos habito aperte profitetur nec novum aut insolitum esse in legibus, nec a iuris criminalis ratione scientia ac usu absonum, poenis subiici participes criminis, ubi prae-

cipuus auctor puniri non possit. Ex quo intelligitur ad nos etiam ex dominantium sententia huius legis telum spectare, ita ut ubi nostra verba aut acta in offensionem eius legis incidant, Episcopi aut sacerdotes qui nostros sermones et monita aut evulgarint aut executi fuerint poenas luturi sint eius praetensi criminis, cuius reatum et culpam Nos uti praecipuus auctor sustinere iudicabimur.

En Venerabiles Fratres quemadmodum non solum tot praesidia tot instituta roborata saeculis, invicta tempestatibus, Ecclesiae administrationi necessaria hostili violentia ac demolitione apud Nos eversa sunt, sed eo etiam progressum est, ut sublime illud munus docendi vigilandi animarum saluti prospiciendi quod Ecclesia a suo divino conditore accepit, nefario modo impediatur, severissimis poenis indictis ad obstruendum os ministrorum eius, qui dum docent populos servare omnia quae Christus mandavit, dum instant opportune importune, arguunt, obsecrant, increpant in omni patientia et doctrina, illud agunt quod divina eis et apostolica auctoritate praecipitur. Alias autem tenebrosas molitiones oppugnatorum Ecclesiae silentio praeterimus, a quibus nonnullorum etiam ex publicis administris consilia et incitamenta non abesse cognoscimus, quae eo spectant ut maiorum tribulationum dies Ecclesiae ipsi adducantur, vel promovendis schismatis occasionibus ubi futuri Pontificis electio inciderit, vel Episcoporum qui Ecclesiis Italiae praesunt spiritualis auctoritatis usu impediendo, cuius rei causa Nos novissime declarare coacti fuimus, tolerari

posse ut acta canonicae institutionis eorumdem Episcoporum laicae potestati exhibeantur, ad occurrendum quantum in Nobis est, funestissimis rerum adiunctis, in quibus non amplius agebatur de temporalium bonorum possessione, sed ipsae fidelium conscientiae, earum pax, animarum procuratio et salus, quae suprema Nobis lex est, in apertum discrimen vocabantur. Verum in hoc quod egimus ad gravissima pericula removenda, palam ac iterum agnosci volumus, Nos iniustam eam legem quae *regium placitum* vocatur omnino improbare ac detestari, aperte declarantes per ipsam laedi divinam Ecclesiae auctoritatem, eiusque libertatem violari.

Post haec autem quae hactenus exposuimus, omittentes plura alia, ad quae deploranda sermonem nostrum producere possemus illud petimus, qua ratione fieri possit ut Ecclesiam gubernare valeamus sub dominatione eiusmodi potestatis, quae omnia Nobis media et praesidia ad Apostolatum nostrum exercendum continenter adimit, omnem viam obstruit, nova in dies impedimenta novas difficultates interponit, novos usque laqueos insidiasque molitur? Profecto Nos satis mirari non possumus eos homines reperiri, quorum nescimus utrum levitas an malitia maior sit, qui sive per publicas ephemerides, sive peculiaribus scriptis sive impudentibus sermonibus plurium occasione conventuum habitis, obtrudere et persuadere populis conantur, praesentem Summi Pontificis in urbe conditionem talem esse, ut etiam sub alterius potestatis dominatione constitutus, plena libertate fruatur, ac tran-

quille et plene possit suo supremo spirituali primatu perfungi. Ad quam opinionem publice confirmandam nullam elabi occasionem sinunt sive cum Episcopi et fideles ex exteris plagis ad Nos visendos accedunt, sive cum eorum pios coetus in conspectum nostrum admittimus, sive cum impios ausus contra Ecclesiam Nostris ad eos sermonibus deploramus, quin de industria et callide incautis insinuare studeant, Nos reipsa plena potestate et libertate frui tum loquendi tum excipiendi fideles tum Ecclesiam universam administrandi. Mirum Nobis est quod talia impudenter iactari possint, quasi exercitium illorum actuum qui recensentur plene et omnino esset in nostra potestate, et quasi in iis tota gubernationis Ecclesiae ratio quae ad munus Nostrum pertinet, continetur. Quis enim nescit non sub Nostra sed sub dominantium potestate esse actus eius libertatis quam tantopere extollunt, ita ut eatenus et tamdiu eosdem actus exercere possimus, quatenus et quandiu hoc ab iis non impediatur? Quae tamen nostrorum actuum libertas quantum sub eorum potestate sit, etsi alia argumenta deessent, satis innuit ac docet novissima ea lex quam nuper deploravimus, qua liberum exercitium spiritualis nostrae potestatis, et ministerii ecclesiastici ordinis nova et intolerabili oppressione constringitur. Quod si nonnullos actus Nos posse exercere permiserint, ea de causa quod agnoscant quantopere eorum intersit Nos sub eorum dominatione liberos existimari, quam multa tamen gravissima pernecessaria summique momenti sunt quae ad formi-

danda onera ministerii Nostri pertinent, quibus reipsa ac rite perficiendis, Nos dominantium iugo subiecti omni necessaria facultate et libertate caremus? Vellemus quidem illos qui ea quae retulimus scribunt aut loquuntur, oculos suos ad ea quae circa Nos accidunt coniicerent, ac alieno paullisper a partibus animo diiudicarent, utrum vere dici possit Ecclesiae regendae potestatem Nobis divinitus commissam, cum eo statu ad quem Nos adegit invasorum dominatus posse componi. Vellemus eos agnoscere convicia iniurias contumelias, quae etiam in aula Oratorum Populi continenter contra humilitatem Nostram effunduntur, convicia in quibus Nos quidem ignoscimus miseris qui ea promunt, sed tamen in offensionem maximam fidelium cedunt quorum communis Pater violatur, et eo tendunt ut imminuatur apud eos existimatio, auctoritas, veneratio, quam Vicariatus Christi quem indigni sustinemus, suprema dignitas et sanctitas postulat. Vellemus eos testes esse probrorum et calumniarum quibus tum amplissimus ordo vester, tum sacri Ecclesiae Magistratus omnibus modis impetuntur, tanto cum administrationis eorum detrimento; testes esse irrisus ac ludibrii quo augusti ritus ac institutiones catholicae Ecclesiae dehonestantur, petulantiae qua sanctissima religionis mysteria profanantur, ac conspicere publicis honoris significationibus et pompis decoratam impietatem et atheos homines, dum contra religiosae supplicationes et pompae vetantur, quas avita italorum pietas libere semper celebrare solemnibus temporibus consuevit. Vellemus etiam

ipsis notas esse blasphemias, quae impune, auctoritate publica dissimulante, contra Ecclesiam in legumlatorum conventu coniiciuntur, in quo Ecclesiae ipsi subvertendi et aggrediendi criminatio est illata, libertas eius nefarium ac fatale principium vocatum est, doctrinae eius perversae, ac societati et moribus adversantes appellatae sunt, vis et auctoritas eius tamquam civili consortio perniciosa incusata fuit. Neque possent iidem confictae nostrae libertatis praecones inficiari tot multiplices graves continuas occasiones in id comparatas ut incauta iuventus inflammatis cupiditatibus corrumpatur, ac ex eius animo catholica fides radicibus extirpetur. Si ipsi demum vias huius urbis, quae per B. Petri cathedram religionis sedes et caput est obirent, iudicare percommode possent utrum templa acatholici cultus his temporibus excitata, scholae corruptionis quaquaversus diffusae, tot domus perditionis passim constitutae, obscena et foeda spectacula quae oculis populi offeruntur; talem rerum conditionem faciant, quae tolerabilis sit ei qui pro sui apostolatus officio debet quidem et vellet tot malis occurrere, at contra omnibus mediis et rationibus, omni potestatis exercitio privatur, quo possit vel uni tantum ex tot malis necessaria remedia adhibere, et animabus in exitium ruentibus opem ferre. Hic tandem est Venerabiles Fratres status cui subesse cogimur opera eius gubernii quod in hac urbe dominatur, haec est illa libertas et potestas exercendi ministerii nostri cuius nomine abutuntur et qua Nos potiri impudenter iactitant: libertas scilicet videndi demolitionem in dies deterio-

rem ordinis et constitutionis ecclesiasticarum rerum videndi exitium animarum, quin operam nostram ad tot damna opportune reparanda impendere et navare possimus. His ita se habentibus nonne nova amarulenta irrisio et ludibrium existimandum est illud quod saepe dicitur, nempe debere Nos conciliationis et concordiae consilia cum novis dominatoribus inire, cum haec conciliationis ratio non aliud ex parte nostra esset, nisi omnino prodere non modo summa Sanctae huius Sedis iura, quae tamquam sacrum et inviolabile depositum ad hanc supremam cathedram evecti custodienda ac tuenda recepimus, sed etiam et praecipue prodere divinum ministerium Nobis pro salute animarum commissum, tradere hereditatem Christi in manus auctoritatis huiusmodi, cuius opera ad ipsum catolicae religionis nomen, si fieri posset, delendum, diriguntur? Nunc profecto terrarum orbi claro in lumine omnique ex parte conspicienda praebetur vis, vigor, fides earum concessionum, quibus ad fidelium illusionem hostes nostri libertatem et dignitatem Romani Pontificis tueri se velle ostentarunt, quae fundamentum suum positum habent in arbitrio ac hostili voluntate reipubblicae moderatorum, quorum in potestate est iuxta sua consilia et rationes, ac pro lubitu eas aptare, servare interpretari, atque executioni mandare. Haudquaquam certe, haudquaquam Romanus Pontifex est aut erit unquam plenae libertatis compos, ac suae plenae potestatis, donec aliis in urbe sua dominantibus subiiciatur. Alia eius sors Romae esse non potest nisi aut supremi Principis aut captivi: nec

unquam catholicae Ecclesiae universae pax, securitas, tranquillitas constare poterit, donec exercitium supremi apostolici ministerii obnoxium fuerit studiis partium, arbitrio dominantium, vicibus politicarum electionum, consiliis et operibus hominum callidorum ac utilitatem iustitiae praeferentium.

At in tantis malis queis laboramus et premimur, ne putetis, Venerabiles Fratres, aut animum Nostrum fractum concidere, aut illam in Nobis fiduciam deficere, qua Omnipotentis et Aeterni decreta expectamus. Nos quidem consilium cum inissemus, post occupationem dictionis Nostrae, Romae potius manendi quam quaerendi alienis in terris tranquillum hospitium, idque ea mente ut penes Beati Petri sepulcrum pro re catholica vigiles excubias ageremus, numquam destitimus auxiliante Deo pro causa Eius tuenda certare, et quotidie certamus nullibi loco cedentes hosti nisi vi depulsi, ut perpauca illa quae adhuc reliqua sunt ab impeto diripientium et pervertere omnia conantium vindicemus. Ubi autem caetera Nos defecerunt praesidia quibus Ecclesiae et religionis rationes tueremur, Nos nostrae vocis et nostrarum expostulationum officio usi sumus; cuius rei testes estis ipsi quibus communia pericula, communis Nobiscum dolor fuit: saepe namque verba excepistis publice a Nobis prolata sive ut nova facinora reprobaremus et contra invalescentem hostium violentiam protestaremur, sive ut aptis monitis fideles instrueremus ne insidiis improborum et simulatae religionis specie, neu noxiis falsorum fratrum doctrinis deciperentur. Utinam vocibus Nostris

tandem admoveant aures animumque adiiciant illi, quorum ad officium pertinet et maxime interest, auctoritatem Nostram sustentare, et causam qua nulla iustior et sanctior, viriliter tueri! Nam qui fieri potest ut illorum prudentiam fugiat, frustra solidam ac veram prosperitatem in nationibus, tranquillitatem ac ordinem in populis, stabilitatem potestatis in iis qui sceptra tenent expectari, si Ecclesiae auctoritas quae societates omnes recte constitutas vinculo religionis continet, impune contemnatur et violetur, eiusque Caput supremum in suo ministerio obeundo plena libertate uti nequeat, et potestatis alterius sit obnoxius arbitrio?

Illud sane feliciter accidisse laetamur, ut voces Nostrae ab universo catholico Populo filiali pietate Nobis obstricto, libentissime magnoque cum fructu exceptae fuerint; talia enim sunt quae ab ipsis accepimus dilectionis assidua et iterata testimonia, ut et ipsis et Ecclesiae summam gloriam conferant, et bene sperare Nos iubeant laetiores dies eidem Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi orituros. Ac profecto vix verbis aequare possumus iucunditatem solatii quod percepimus validis licet auxiliis undique destituti, intuentes egregios animorum motus et generosa studia quae sponte excitata latius in dies propagantur inter gentes etiam remotissimas, ut Romani Pontificatus et umilitatis Nostrae causam suscipiant, dignitatem tueantur. Liberalia subsidia quae ex omni terrarum parte ad Nos perveniunt ut urgentibus necessitatibus Sanctae huius Sedis prospiciamus, et frequentia tot filiorum nostrorum qui

ad has Vaticanas aedes ex omni gente confluunt ut visibili Ecclesiae capiti devotam voluntatem suam testentur, eiusmodi pignora animorum fidelium sunt, pro quibus pares agere gratias divinae bonitati omnino nequeamus. Vellemus tamen ab omnibus intelligi, quod salutaris documenti loco esset, intimam vim et significationem veram peregrinationum istarum quas hoc tempore crebro iterari videmus, quo Romanus Pontificatus teterrimum bellum experitur. Scilicet illae non eo valent tantum ut amorem et observantiam fidelium prodant erga humilitatem Nostram, sed manifestum praebent indicium sollicitudinis et anxietatum quae eorum corda perturbant, quod communis Parens in abnormi prorsus ac incongrua conditione versatur. Neque haec anxietas et sollicitudo conquiescet, imo augeatur oportet, donec in possessionem plenae et verae libertatis Pastor universae Ecclesiae restituatur.

Interea nihil magis optamus, Venerabiles Fratres, quam ut voces Nostrae ex hoc parietum septo ad ultimos terrarum fines manent, ut totius orbis fidelibus pro illustribus quae continenter ipsi exhibent filialis dilectionis et obsequii argumentis, sensus gratissimi animi nostri testentur. Optamus enim iis gratias agere pro pia liberalitate, qua etiam interdum difficultatis rerum suarum obliti Nobis opitulantur, agnoscentes Deo offerri quidquid Ecclesiae tribuitur, gratulari pro magnanimitate et virtute, qua impiorum iras et irrisiones despiciunt, Nosque iis devinctos profi teripro alacritate qua significationes sui amoris Nobis offerre student ad celebrandam

anniversariam diei illius memoriam, quo ante quinquaginta annos Episcopalis consecrationis munus, licet indigni, suscepimus. Nec minus Nobis in votis est ut omnes etiam Ecclesiarum quae late per orbem diffusae sunt Pastores voces has Nostras excipientes ex iis incitamentum sumant, ut significent fidelibus suis pericula, oppugnationes et incommoda quotidie graviora, quibus premimur, eosque simul certiores faciant, Nos quidem nunquam destituros, quicumque rerum exitus futurus sit, ab improbandis iniquitatibus quae coram Nobis patrantur; verum fieri posse aliquando cum propter leges nuper rogatas, tum propter alias quae praenunciantur etiam saeviores, ut vox Nostra usque ad eos nonnisi rarius, et aegre admodum per interpositas difficultates possit afferri. In his tamen rerum adiunctis Pastores ipsos excitamus, ut greges suos praemoneant, ne fallacibus capiantur artibus queis homines fraudolenti veram rerum conditionem in qua positi sumus verbis invertere et deformare nituntur, sive celantes acerbitatem eius, sive libertatem Nostram extollentes, et potestatem nostram, nemini obnoxiam esse affirmantes, dum vere rem totam sic paucis complecti possumus: scilicet Ecclesiam Dei in Italia vim et persecutionem pati: Christi Vicarium neque libertate, neque expedito plenoque usu suae potestatis frui.

Cum res hoc loco sint, nihil opportunius ducimus, nihil cupimus impensius, quam ut iidem omnes Sacrorum Antistites qui miram concordiam in tuendis Ecclesiae iuribus et egregiam in Apostolicam Sedem voluntatem suam multiplici indicio

Nobis constanter probarunt, fideles quibus praesunt excitent, ut ea ratione ac ope quam iura sinunt cuiusque regionis, sedulo agant apud eos qui summam rei publicae tenent, quo accuratius gravis conditio perpendatur in qua Caput catholicae Ecclesiae degit, atque efficacia adhibeantur consilia obstaculis amoliendis, quae veram ac plenam *independentiam* eius impediunt. Quoniam autem Dei omnipotentis est mentibus lumen immittere et flectere hominum corda, non solum Vos rogamus Venerabiles Fratres ut fervidis apud Eum precibus hoc maxime tempore utamini, sed et ipsos catholicorum omnium populorum Pastores vehementer hortamus, ut fideles sibi concreditos in sacra templa convenire curent, ubi pro Ecclesiae matris salute, pro inimicorum nostrorum conversione, et fine malorum tam gravium lateque patentium humiles preces ex intimo animo effundant. Excipiet, ut firmiter confidimus, orationem populi ad se clamantis Deus, cui beneplacitum est super timentes Eum, et in eis qui sperant super misericordia Eius.

Caeterum, Venerabiles Fratres, confortemur in Domino et in potentia virtutis Eius, atque induti armaturam Dei, loricam iustitiae et scutum fidei, praeliemur strenue ac fortiter adversus potestatem tenebrarum, et nequitiam huius saeculi. Iam certe studium omnia miscendi perturbandique eo devenit, ut torrentis instar omnia se in praeceps tracturum minitetur, nec pauci ex iis qui novarum rerum auctores aut fautores extiterunt respectant conterriti, operis ipsi sui formidantes effectus. At Deus Nobiscum

est, eritque usque ad consummationem saeculi. Timendum est iis de quibus scriptum est « Vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos flante Deo periisse, et spiritu irae Eius esse consumptos. » At Deum timentibus et certantibus in nomine Ipsius ac in Eius potentia sperantibus misericordia et praesidium reservatum est, neque dubitandum quin cum Eius sit causa, Eius sit pugna, Ipse certantes adiuvet ad victoriam.

Dies tribulationum quos volvimus pluries effecerunt, ut Nostras cogitationes conferremus ad spectantissimum Vestrum et amplissimum Ordinem, non solum ut debitum honorem praestantium virorum meritis tribueremus, sed etiam ut Nobis ac Ecclesiae valida praesidia in tuenda Dei ac religionis causa adiungeremus. Probe enim cognoscitis, Ven. Fratres, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales praecipuam et praestantissimam esse Romani Cleri partem, Eos Senatum Nostrum ac Sanctae Romanae Ecclesiae amplissimum constituere, et ad eorum munus pertinere Pontifici adesse consiliis suis, iuvare opera, praesto esse sollicitudine, cura ac labore, quos idcirco partes sui corporis Pontifices Praedecessores Nostri appellare non dubitarunt. Haec Nos cogitantes, quemadmodum alias de supplendo numero Ordinis Vestri sollicitudinem ostendimus, ita nunc eamdem curam suspiciendam putavimus, ita suadentibus afflictae Ecclesiae temporibus, quibus ad formidanda onera ministerii Nostri rite implenda fidis adiutoribus indigemus. Scimus quidem eos de quibus in Collegium Vestrum legendis hodie agimus

non ad fruendum dignitatis splendorem, non ad gaudium aut ad tranquillum ministerium, sed ad labores ad certamen vocari, at ubi maior est asperitas rerum, ibi maior etiam occasio praebetur ut virtus eorum, integritas, fides, solertia, zelus pro Religione, elucescat, atque inde etiam Ordinis vestri existimatio et decus coram Ecclesia universa amplificetur. Undecim itaque praestantes Viros in amplissimum Senatum vestrum, Ven. Fratres, hodie cooptare decrevimus, quorum alii in Episcopalis officii partibus gerendis, alii in gravissimis quibus perfuncti sunt rei sacrae procurationibus, alii in peculiari opera Nobis et Ecclesiae navanda, ita fidem, studium religionis, devotam Apostolicae Sedi voluntatem, et optimas animi sui doies probavere, ut propterea dignos habeamus, quos amplissimi Collegii Vestri honore ac dignitate decoremus. Hoc autem pontificiae potestatis munere tanto libentius hodie fungimur, quod in eximiis viris, quos ornare intendimus, peculiare etiam testimonium existimationis et benevolentiae Nostrae universo Episcopali Ordini exhibere possumus eo maxime tempore, quo quinquagesimo anno a Consecratione Nostra Episcopali exeunte, Deo Optimo Maximo ob hoc novum bonitatis suae erga Nos munus, humillimas gratias, ipso dante, sumus acturi.

Ad maiorem itaque Omnipotentis Dei gloriam, Sanctae Romanae Ecclesiae utilitatem ac decus creare intendimus undecim Cardinales Venerabiles Fratres et Dilectos Filios: videlicet

1. Franciscum Di Paola Benavides et Navarrete Indiarum Occidentalium Patriarcham.

2. Franciscum Xaverium D'Apuzzo Archiepiscopum Capuanum.

3. Emmanuelem Gargia Gil Archiepiscopum Caesaraugustanum.

4. Eduardum Howard Archiepiscopum Neocaesariensem.

5. Michaelem Paya et Rico Archiepiscopum Compostellanum.

6. Ludovicum Caverot Archiepiscopum Lugdunensem.

7. Aloisium Di Canossa Episcopum Veronensem.

8. Aloisium Serafini Episcopum Viterbiensem.

9. Laurentium Nina Congregationis Sancti Officii Assessorem.

10. Aeneam Sbarretti Congregationis Episcoporum et Regularium Negotiis praepositae Secretarium.

11. Federicum De Falloux Cancellariae Apostolicae regendae praepositum.

Quid Vobis videtur

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales

Presbyteros quidem

Franciscum Di Paola Benavides et Navarrete
Franciscum Xaverium D'Apuzzo
Emmanuelem Gargia Gil
Eduardum Howard.

Michaelem Payá et Rico
Ludovicum Caverot
Aloisium Di Canossa
Aloisium Serafini

Diaconos vero

Laurentium Nina
Aeneam Sbarretti
Federicum De Falloux

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

EPISTOLA

DILECTO FILIO DOMINICO SIRE PRESBYTERO
CONGREGATIONIS S. SULPITII

PIVS PP. X.

DILECTE FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pium sane et gloriae Deiparae Immaculatae opportunum prorsus tuum consilium fuit quod eo spectavit ut dogmaticae litterae, quibus Immaculatae Deiparae Conceptio ab hac Apostolica Sede definita et promulgata Christiano Populo fuit, omnium fere gentium, quae per orbem diffusae sunt, vernaculis linguis ad publicum fidei testimonium accurate redderentur, ac eius dogmaticae definitionis memoria illustri pietatis et artis monumento decoraretur. Feliciter autem contigisse gaudemus, Dilecte Fili, ut tuis curis tuaeque industriae auspice Deipara Virgine et piorum hominum studiis largiter suffragantibus optimos exitus responderet, quemadmodum et relatio rerum a Te gestarum typis vulgata, et collectio voluminum, quae a Ven. Fratre Benedicto Archiepiscopo Rhemensi et a Te Nobis novissime

oblata sunt, splendide luculenterque testantur. Nam et interpretationum numerus quae in oblatis voluminibus continentur, et insignia ac pretiosa artium ornamenta quae in iis fulgent, et integrum ac nobilissimum opus iisdem voluminibus asservandis et custodiendis dedicatum, ita hoc egregium pietatis monumentum commendant, ut illud non laudi solum eorum omnium qui tecum venerationem suam erga Sanctam Dei Matrem et obsequium erga auctoritatem Sanctae huius Sedis ostendere voluerunt, sed et praesentium ac posterorum aedificationi plene perfuturum censeamus. Hinc Nos, Dilecte Fili, gratissimo cum affectu oblatum munus accepimus, ac dignum omnino habuimus ut in publico Vaticanae Nostrae Aedis loco ad gloriam Immaculatae Deiparae, et ad perpetuam posteritatis memoriam proponeretur. Facere autem non possumus quin his litteris Nostris peculiarem laudem Tibi tribuamus ob eam insignem partem, quam in hoc opere habuisti ac simul gratulemur aliis omnibus fidelibus, qui liberalitatem, artem, operam suam rei a Te susceptae eo zelo navarunt, ut ipsa feliciter ac splendide ad exitum adduci potuerit. Cum porro ea quae a Vobis acta sunt ad incrementum gloriae referantur Eius quae honorificentia est populi Nostri, quae divinarum est potentissima conciliatrix gratiarum, non dubitamus quin Ipsa de caelo pietatem et affectum tuum aliorumque fidelium respiciat, ac merita Vestra uberrima mercede remuneretur. Eius benignitatem et nos adprecamur ex corde ut Vobis impetret esse inter eos quorum nomina scripta sunt in libro

vitae, ac cupimus, Ipsa suffragante, auspicem esse omnis gratiae et prosperitatis Apostolicam Benedictionem, quam Ven. Fratri Archiepiscopo Rhemensi et Tibi, Dilecte Fili, cuntisque aliis fidelibus, qui sua studia in tuum opus contulerunt, peramanter in pignus paternae Nostrae dilectionis in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 24 Martii An. 1877. — Pontif. Nostri Anno XXXI. —

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILI FRATRI
GEORGIO CONROY EPISCOPI ARDAGADENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Antiquissimi moris est in Ecclesia, ut RR. PP. quo recte fungantur commisso sibi Apostolatus officio, habeant in dissitis locis, sub variis nominibus, Ecclesiasticos viros aut ex Provinciae Episcopis selectos, aut ab hac Alma Urbe missos, qui ea qua par est iurisdictione muniti suas illic vices ducant, et fidei incremento, morum puritati, Canonum observantiae, Cleri, Populique disciplinae advigilent. Itaque cum res Ecclesiae in Canadae regionibus eo in statu versentur, ut peculiarem S. huius Sedis sollicitudinem expostulent, Nos cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, communicata re seduloque perpensa, in eam sententiam devenimus, ut Delegatum Apostolicum in eas regiones mitteremus qui earum-

dem statum cognoscere accurate valeat, controversias et quaestiones pro sua prudentia et arbitrio componere satagat; quae vero graviora videantur et medica S. huius Sedis manu omnino egeant ad nos diligenter referre maturet. Quae cum ita sint a quibusvis excommunicationis et interdictis aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo, quavis de causa latis, quas si forte incurreris, huius tantum rei gratia Te absolventes ac absolutum fore censentes, Te, Ven. Frater, qui Religionis dilatandae studio, pietate doctrina et in gerendis rebus prudentia egregia praeter caeteros commendaris, de Venerabilium quos memoravimus Fratrum Nostrorum consilio, auctoritate nostra Apostolica, tenore praesentium, Delegati Apostolici pro regione Canadensi ad nostrum et S. huius Sedis beneplacitum titulo, iuribus, honoribus ac privilegiis augemus et decoramus, itemque singulas ac universas tibi facultates necessarias et opportunas tribuimus ac impertimus, quibus praedictis Ecclesiarum Canadae, quas descripsimus, necessitatibus ac bono consulere possis et valeas. At enim volumus, ut officium tuum exerceas iuxta mandata quae eorumdem VV. FF. nostrorum Congregatio Tibi dederit, ac non modo dioecesibus superioris et inferioris Canadae sed etiam Dioecesibus, quae in insula Terrae Novae sitae sunt Nostro et S. huius Sedis nomine atque auctoritate praesis. Caeterum non dubitamus quin Ven. Fratres Archiepiscopi et Episcopi, item Clerus populusque earum regionum, Te nostrum et S. huius Sedis delegatum debita reverentia et obsequio sint prosecutori, atque

in Delegato Delegantis auctoritatem suspicientes, illius consiliis, monitis, mandatis prompta animi voluntate obtemperaturi. Haec volumus mandamus, praecipimus, decernentes praesentes nostras litteras, firmas, validas ac efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtineri, et ab iis ad quos pertinent, pertinerintve, inviolabiliter observari sicque in praemissis per quoscumque iudices et delegatos etiam causarum palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere atque irritum et inane si secus super his ac quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Benedicti XIV etc.

Volumus denique ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in Ecclesia dignitate constituti muniti, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel obstensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X Aprilis MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri anno trigesimo primo.

F. Card. Asquinius.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO VICTORI AVGVSTO TITVLI S. BERNARDI AD THERMAS S. R. E. CARD. DECHAMPS ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI AC VENERABILIBVS FRATRIBVS EPISCOPIS BRVGENSI, GANDAVENSI, TORNACENSI, NAMVRCENSI. -

---

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII NOSTRI ET VENERABILES FRATRES SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ita semper a divina providentia regi atque ordinari videmus omnia, Dilecte Fili Noster et Venerabiles Fratres, ut ipsa inimicorum suorum molimina et conatus in sui nominis gloriam et Ecclesiae emolumentum convertat. Saepe praesenti in rerum perturbatione Nos fideles monuimus, ut ab eorum insidiis caverent, qui obsequium simulantes in religionem, nova se moliri vulgabant in incrementum dumtaxat prosperitatem, progressum nationum: ac aperte diximus, illorum consilia in Ecclesiae praesertim exitium intendi. Multi tamen illecti promissis istorum et hypocrisi decepti, ac censentes ampla prorsus ab eorum opera expectanda esse rei civili commoda, nihilque plane religioni timendum esse, ultro

descenderunt in ipsorum sententiam, ac propterea ducentes, obsecundandum iis esse et amice incedendum cum laica potestate, redarguerunt illos, qui nova incepta improbabant, ipsamque Ecclesiam huiusmodi placitis adversam iis conciliare nisi sunt, prudentiam clamantes et pacem. Et adeo pertinaciter in hac persistere mente ut licet publica iam facta non obscure proderent veram latentis propositi indolem, et vox huius Apostolicae Sedis multorumque Episcoporum eam perspicue designaret; ab errore tamen suo recedere nollent. Verum Deus non sinit osores suos et fabricatores errorum se diutius obtegere; detractaque iis, uti scite dixistis, omni probitatis larva, ipsos operuit, sicut diploide, confusione sua.

Nam occupato iam ubique ferme supremae auctoritatis loco, cum nihil sibi metuendum esse arbitrarentur, foeditatem concepti consilii prodere virusque impietatis suae palam evomere non dubitarunt; ac novam, inter blasphemias et contumelias, non erubuerunt proponere legem, qua spoliato, disiecto, revincto Clero, et Nobis ipsis os etiam, in tanta dicendi scribendique licentia, obduceretur. Per haec autem dum cordium latebras revelavit Deus, et apertum in se odium ostendit eorum, qui tot laqueis irretiunt Ecclesiam discipulosque suos insectantur; claram simul effudit lucem deceptorum oculis, ut videant demum quam insanum sit expectare pacem ab huiusmodi hominibus, et quam absonum obsecundare potius eorum votis, quam iis firmiter in fide resistere. Non paucos haec probe

intellixisse gaudemus, et ita ad rectam conversos fuisse sententiam; ut exitiosi, in quem inciderant, erroris praestantes facti fuerint oppugnatores. Quocirca non immerito futurum confidimus, ut plerique e reliquis, qui vel caecutire volunt adhuc vel nutant ad saniorem reversi mentem, cum fratribus recte sentientibus vires coniungere velint ad eludendas adversas machinationes hostiumque communium impetum retundendum atque ita sequi facto suo divinae providentiae consilium, cuius unius est, ex ipsis inimicorum conatibus opem et salutem adducere. Id isti regno, id ceteris ominamur; atque interim superni favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Vobis et propriae uniuscuiusque Dioecesi toti, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Aprilis Anno 1877. Pontificatus Nostri Anno trigesimoprimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS HENRICO PARANQVE PRAESIDI ET CONSILIO SOCIETATIS MASSILIENSIS TVENDIS REBVS CATHOLICIS ADDICTAE.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Officia vestra, dilecti Filii, libentissime excepimus non uno obsequii, devotionis amorisque vestri nomine; sed praesertim quod filialis istius pietatis vestrae sensus ad opus traducere et verum Ecclesiae laboranti auxilium offerre nitamini. Vestrae enim societatis acta docent, vos per catholicas scholas curam gerere pueritiae, quae vel religiosa privatur institutione, vel prava imbuitur; iuventutem, tot circumventam insidiis, retrahere a periculis, congregare, fingere ad virtutem et pietatem, et educare in praesidium Ecclesiae; cogere coetus operariorum eosque avertere a popina et vitiis, sana excolere doctrina, mutuo inter se et cum dominis suis caritatis nexu coniungere, ac ita in religiosi consortii ac civilis eorum voluntates et vires convertere, qui in

utriusque perniciem passim corrumpuntur, vulgare et diribere gratuito parva scripta, quibus populo suppeditetur antidotus impietatis et licentiae large ipsi quotidie per ephemerides et libellos propinatae; et ne haec aliaque beneficia directae actionis vestrae limitibus coercerentur, eadem latius praestare contendisse per parochiales consociationes societati vestrae coniunctas. Si probatio dilectionis exhibitio est operis, eiusmodi profecto studium, quo Nos potissimum sollicitamur et angimur salutis animarum, luculentius quibuslibet verbis ostendit, quanta Nobis devinciamini caritate et observantia; Nobisque propterea iucundissimas et acceptissimas facit devotionis vestrae significationes. Gratulamur itaque vobis et futurum confidimus, ut ipsa vestrorum operum explicatio et amplificatio stimulo vobis futura sit ad alacriter prosequenda quae geritis, et quae facere coepistis perficienda. Nova semper incrementa frugum Nos ominamur iustitiae vestrae, eaque vos assecuturos esse, benedicente et suffragante Venerabili Episcopo vestro non dubitamus. Interim vero divini favoris auspicem et praecipuae benevolentiae testem excipite Benedictionem Apostolicam quam vobis et toti societati vestrae Dilecti Filii peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 23 Aprilis Anno 1877. Pontificatus Nostri Anno Trigesimoprimo

PIUS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTO FILIO NOSTRO
HENRICO EDVARDO
TIVLI SANCTORUM ANDREAE ET GREGORII
AD MONTEM CAELIVM
S. R. E. PRESBYTERO CARD. MANNING
ARCHIEPISCOPO WESTMONASTERIENSI
CETERISQVE VENERABILIBUS FRATRIBUS
ANGLIAE EPISCOPIS

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI NOSTER, ET VENERABILES FRATRES,
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Acceptissimas habuimus, Dil: Fil: Nos: et Ven: Fr:, effusas vestras gratiarum actiones ob defensionem Ecclesiae a Nobis susceptam in nupera allocutione Nostra; non minus uti perspicuum eximiae caritatis incensique studii vestri argumentum erga Sanctam hanc Sedem, quam quod evidenter ostendant, non obsequentem dumtaxat animum, sed eadem plane sententia percitum, ac demonstrent, merito Nos asseruisse, crebras fidelium peregrinationes

ad Christi Vicarium, praeter amoris testimonium, praebere, « manifestum indicium sollicitudinis et « anxietatum, quae eorum corda perturbant, quod « communis parens in abnormi prorsus et incon- « grua conditione versatur. Neque haec anxietas et « sollicitudo conquiescet, imo augeatur oportet, do- « nec in possessionem plenae libertatis Pastor Uni- « versae Ecclesiae restituatur ». Et sane: nonne, quotquot in orbe sunt, fideles tenent, sicut et vos, Ecclesiam, non hoc aut illo contineri regno, sed omnes in se complecti gentes Christi sanguine redemptas, consociatasque sub uno Capite, qui Christum ipsum refert, et uti Pastor et Doctor omnium, directam immediatam, ordinariam in eas iurisdictionem exercet, universorumque mentes et voluntates in iis quae sunt fidei et morum, moderatur? Nonne propterea sentiunt omnes, summum Pontificem nullius humanae potestatis arbitrio subesse debere; et ideo civilem quoque principatum ei additum fuisse a Divina providentia, ut supremo munere suo libere fungi valeat in populos non modo, sed et in populorum rectores, qui et ipsi, uti ceteri sunt Ecclesiae filii? Nonne putant, haec suapte natura, sepositis etiam iuramentis de tuenda integritate ditionis Ecclesiae Romanae, respuere quamlibet conciliationem cum iis, qui in eius bona invaserunt, ipsumque Summum Pontificem in suam redegerunt potestatem? Gaudemus idcirco, vos sententiam istam catholicorum clarius explicuisse per litteras vestras, atque ita apertius ostendisse causam communis eorum anxietatis, et aequitatem communis sententiae,

qua censentes omnes, non alienam sed propriam agi causam, ubi de communi parente et spirituali moderatore res est, officii sui esse ducunt, libertatem eius et iura, qualibet ratione a legibus concessa, tueri ac expostulare. Et merito; nam decet Dei cooperari placito, qui libertatem Ecclesiae et Sanctae huius Sedis semper assertam voluit a Vicariis suis sive in tormentis sive in solio, quique eam certe reducet. Nos id, fidenter quidem, sed voluntati divinae obsequenter acquiescentes, expectamus, atque interim gratissimi vestris officiis, cumulata vobis adprecamur auxilia et munera caelestia, eorumque auspicem unicuique vestrum, Dil: Fil: Noster et Ven: Fr:, et propriae singulorum Dioecesi toti Benedictionem Apostolicam praecipuae Nostrae benevolentiae testem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Aprilis anno 1877. Pontificatus Nostri Anno trigesimo primo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS PRAESIDI ET CONSILIO VNIONIS CATHOLICAE AC SOCIALIS TVRONENSIS.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Dum omnes inferorum vires, in exitium conspirantes humanae familiae, subruere nituntur per assecIas suos religionem, humanae societatis fundamentum, per commenta scientiae, per calumnias historiae, per vim legum, per arbitrium potentum; prudentissimum omnino fuit, imo plane necessarium, Dilecti Filii, amicos ordinis simul convenire, collatisque consiliis et opera, imminenti occurrere dissolutioni societatis, Vos itaque id fecisse laetamur; atque eo libentius, quod, veram videntes in recessu a Deo tanti mali causam, praecipuum studium vestrum ei submovendae adhibendum decreveritis, ac religioni restituendae. Et scite quidem id vos perficere docent sive operarii quos congregatis et docetis, sive catholicae scholae, quas instituistis, sive

sanae ephemerides, quas obiicitis exitiosis, sive opuscula quae vulgatis, ubi mixtum utile dulci ad vulgi manus perlatum insidias detegat, errores refellat, fingat mores, religionem ingerat animis. Libentissime propterea excepimus acta societatis vestrae ac periucunde vidimus eius progressum, et laudes ab egregio Archiepiscopo vestro vobis tributas. Gratulamur itaque vobis ex animo, piamque operositatem vestram novos vobis conciliare sodales, latius in dies propagari, superno semper sustentari virtute et uberioribus augeri fructibus a Deo poscimus. Atque interim caelestis favoris auspicem ac paternae benevolentiae Nostrae testem vobis, Dilecti Filii, Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 30 Aprilis Anno 1877. Pontificatus Nostri Anno Trigesimoprimo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

ERECTIO DIOCESIS LEAVENWORTHENSIS IN STATU KAMSAS PENES FAEDERATOS STATUS AMERICAE SEPTENTRIONALIS

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Expositum est Nobis, plurimum Catholici hominis emolumento fore, si in ditione seu statu, vulgo Kamsas qui nominatur, Vicariatus Apostolicus plurimis abhinc annis sub Orientalium Plagarum Montium Saxosorum titulo constitutus, totumque statum Kamsas complectens servatis limitibus, quibus Vicariatus idem circumscribitur in veram proprieque dictam Dioecesim per Nos erigeretur. Quod ubi accepimus ex Nostro Pastorali munere rem communicare maturavimus cum Ven. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis. Cum itaque omnibus sedulo attenteque perpensis, ad Vicariatus Apostolici, de quo habita supra mentio est, in dioecesim erectionem deveniendum visum fuerit, haec, quae infra scripta sunt,

deceruimus interposita Apostolica Nostra Auctoritate. Vicariatum Apostolicum Orientalium Plagarum Montium Saxosorum qui nominantur, in ditione seu statu Kamsas penes foederatos Status Americae Septentrionalis iamdiu constitutum in vere dictam, ac proprio Episcopo committendam dioecesim, vi praesentium Apostolica Nostra Auctoritate erigimus et constituimus, his, quae infra scriptae sunt conditionibus ac legibus. Primum, ut novae istius Episcopalis Ecclesiae in civitate Leavenworthensi vulgo Leavenworth Sedes sit; deinde, ut eadem Episcopalis Ecclesia Metropolitanae Sancti Ludovici sit Suffraganea. Hoc volumus mandamus, edicimus, decernentes praesentes Nostras literas firmas fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat vel pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices, Ordinarios et Delegatos etiam Causarum Palatii Nostri Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae Regula de iure quaesito non tollendo aliisque Apostolicis ac in Universalibus Provincialibusque et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus, nec non Vicariatus Apostolici, quem memoravimus etiam iuramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et

Literis Apostolicis, superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis et aliis decretis in genere vel in specie in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis illorum tenore praesentium pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris. ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XXII Maii MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri Anno XXXI.

F. Card. Asqvinivs.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI
IOSEPHO PATRIACHAE BABYLONENSI CHALDAEORVM

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Solatio Nobis fuit tua Epistola ad Nos data die 1 elapsi mensis Martii, postquam in tuas manus devenerunt Encyclicae Litterae quas die 1 Septembris elapso anno ad Archiepiscopos, Episcopos, Monachos, Clerum et populum Chaldaici Ritus mittendas censuimus. Vidimus enim in ea epistola Te admonitionibus Nostris permotum et maioris excommunicationis metu perculsum, ea quae perperam egisti, tum protendendo iurisdictionem tuam in Malabaricas regiones, in quas nullum ius tibi inesse semel et iterum declaratum a Nobis fuerat, tum in eligendis, consecrandis et instituendis Episcopis contra ea quae in Nostra Constitutione, edita pridie

Kal. Septembris an. 1869 decreta fuerunt reprobare, veniam ac indulgentiam Nostram exposcere ac simul rogare ut Te amodo et semper tamquam addictissimum et fidelissimum huic Apostolicae Cathedrae existimemus. Gaudemus Ven: Frater Te debitam obedientiam admonitionibus Nostris ostendisse, ac Deo clementissimo benedicimus qui Te suae gratiae praesidio in hac re confortavit. Gaudemus insuper, quod hac ratione non modo conscientiae tuae consultum fuerit, sed etiam conservandae unitati ac Fidei Catholicae in Chaldaico Patriarcatu; quae unitas et Fides consistere nullo pacto possent, nisi Supremum B. Petri eiusque Successorum magisterium ac suprema iurisdictio in omnes et singulas cuiusque ritus Ecclesias tam in dogmaticis rebus quam in disciplina ab omnibus iuxta catholicam doctrinam teneatur. Nos itaque veniam quam postulas Tibi libenter concedentes, Te absolvimus a quibusvis censuris a iure inflictis, quas propter praemissa incurristi, et quatenus opus sit super irregularitate etiam ex violatione censuarum Tecum dispensamus. Confidimus autem Te Dei gratia adiuvante omnem operam daturum ut cumulate in omnibus quae tuarum partium et officii esse cognoscis, Apostolicae huic Sedi satisfacias, atque gravissima scandala ac damna Fidelibus istic illata reparentur atque sarciantur. Confidimus etiam conatus eorum qui in sua contumacia misere permanent, et thesaurizant sibi iram in die irae et iusti iudicii Dei, nihil valituros ut Te de tua constantia et salutari proposito dimoveant. Pro certo autem ha-

bere debes Nos, sicut Tibi tuisque ad recta consilia reversis omnem favorem et auxilium in Domino impensuri sumus, ita in eos qui in sua pertinacia et pravitate perseverant, canonici poenis esse animadversuros. Plura autem quae ad rem pertinent Dilectus Filius Noster Card. Alexander Franchi Nostrae Congñis de Propaganda Fide Praefectus et Ven. Frater Lodovicus Archiepiscopus Damiatensis huius Sedis Delegatus Tibi significabunt. Quod superest Apostolicam Benedictionem Tibi Ven. Frater, et Clero, Monachis ac Fidelibus istius Patriarchatus in communione et obedientia huius Apostolicae Sedis perseverantibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 9 Junii anno 1877, Pontificatus Nostri anno tricesimo primo.

PIUS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

IN FORMA BREVIS

QVIBVS
COLLEGIA MISSIONVM ORD. MIN. S. FRANCISCI
IN AMERICA EXISTENTIA
REGI DEBENT

PIVS PP. IX.

AD PERTETVAM REI MEMORIAM

Apostolica Sedes, cuius est sacrosanctum Evangelium per universum terrarum orbem disseminare, et disseminatum colere et fovere, nullo unquam tempore destitit multa pie prudenterque statuere et ordinare, quae et operarios in vinea Domini laborantes dirigerent, et fidei catholicae propagationem, rectam Christifidelium instructionem ac morum reformationem, et animarum salutem uberiorem redderent. Ast cum nonnulla, aliis temporibus sancita, ob mutatas rerum vices, praesentium temporum necessitatibus minus accomodata esse videantur; ideo

tum ad animi anxietates tollendas et dissidia vitanda, tum ad operariorum tutam directionem et unitatem in ministerii exercitio servandam, Pastoralis Officii Nostri partes opportune interponentes, ea, quae iuxta rerum, personarum, locorum et temporum adiuncta in Domino salubriter expedire arbitramur, de novo sancire, constituere et determinare decrevimus. Nuper siquidem dilectus filius Bernardinus a Portu Romatino, totius Ordinis Minorum sancti Francisci Minister Generalis, Nobis exponi fecit, in Collegiis Missionum sui Ordinis ad infidelium conversionem, Christianae Religionis fideique catholicae propagationem, animarumque salutem procurandam, Auctoritate Apostolica in America iamdiu fundatis, aliqua adesse, quae ob mutata temporum ac rerum adiuncta, nostram sollicitudinem postulant. Praefata enim Collegia, quamvis ab eorum fundatione peculiaribus regerentur Statutis, a Ven. Praed. Nostro Innocentio XI, sub die XXVIII Iunii et XVI Octobris anno MDCLXXXVI, per suas Apostolicas Litteras, quae incipiunt - *Ecclesiae Catholicae* - confirmatis, Commissariis tamen Generalibus, sicuti omnes Americanae Provinciae, subdebantur. Quum autem officia Commissariorum Generalium in America residentium anno MDCCLXVIII interdicta seu suspensa fuerint, et plura exinde dubia, praesertim circa exercitium aliquarum facultatum, inter Missionarios exorta essent; Pius Papa VI, Noster item fel. rec. Praedecessor, ad animarum perturbationes sedandas, nec non ad Innocentianas Constitutiones religiose custodiendas, sub die XII Decembris anno MDCCXCVII

Bullam edidit, quae incipit « *Decet Romanum Pontificem* » in qua praedictorum Collegiorum leges aliquae componebantur, et facultates, circa quas dubia exorta fuerant, determinabantur. Tandem, postremis hisce temporibus, Capitulum Generale Ordinis anno MDCCCLXII in Conventu Aracoelitano celebratum, Commissarios Generales in America residentes restituere decrevit; ac tres tunc Commissarii Generales nominati sunt. At cum deinde experientia comprobatum fuerit, nimis extensum fuisse territorium unicuique Commissario assignatum, ex decreto praedicti actualis Ministri Generalis Ordinis, Bernardini a Portu Romatino, et eius Generalis Definitorii, sub die XVII Dedembris MDCCCLXX auctus fuit eorum numerus, et quinque, pro interim, instituti sunt Commissarii Generales, videlicet unus pro regione Peruviana, additis Collegiis in Republica Aequatoriana existentibus; alter pro Republica Boliviana, cui subiecta etiam fuit Missio recens fundata in civitate Manàos Dioeceseos Belém de Parà in Brasiliano Imperio; tertius pro Republica Argentina; quartus pro Chilena: quintus demum pro regione Mexicana.

Verum haec praefatorum Commissariorum restitutio anxietatibus et dubiis, stante Bulla Pii VI, praesertim circa iurisdictionem, inter Missionarios, occasionem dedit, nonnullis asserentibus, post restitutionem Commissariorum Generalium, providentias Pii Papae VI non amplius locum habere, aliis e contra eiusdem Pontificis Constitutionibus mordicus inhaerentibus; omnibus postulantibus, ut Innocentianae simul et Pianae Constitutiones a Suprema Au-

ctoritate Nostra componerentur, et in novam Constitutionem veluti funderentur.

Nos igitur, ad animorum ambages tollendas, praedicti dilecti filii Ministri Generalis totius Ordinis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuentes, eumque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, *a iure* vel *ab homine* quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie illum absolventes et absolutum fore censentes, de consilio Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationis negotiis propagandae fidei praepositae, super hoc negotio specialiter deputatorum, praesentes Litteras dare mandavimus, quas veluti unicam regulam ac tesseram in praefatis Collegiis Missionum, tam erectis quam erigendis, ab omnibus haberi, volumus, caeteris quibuscumque praecedentibus, hic non insertis, etiam speciali et specialissima mentione dignis, penitus abrogatis et omnino revocatis.

De Disciplina in Collegiis servanda.

I. Ac primo, omnia Collegia in America hucusque erecta, sive in posterum erigenda, quantum Domino auxiliante possibile fuerit, ad Ordinis primaevam observantiam tendant, et in eis Regula sancti Fundatoris, iuxta Declarationes a sa. me. Innocentio Papa XI. Praed. Nostro in suo Motu proprio « *Sol-*

licitudo pastoralis » contentas et innovatas, strictissime observetur.

II. Sanctam vero paupertatem, quam ipse Seraphicus Pater *Dominam* appellabat, et veluti margaritam pretiosissimam, ac tesseram praecipuam sui Ordinis esse voluit, studeant Missionarii in cunctis servare; suis enim operariis Dominus abunde providebit, si labori adeo proficuo vacantes, in ipso Domino tantum omnem spem totumque cogitatum suum iactaverint. Attamen quia Fratrum Mendicantium numerus valde crevit, et fidelium pietas in dies refrigescit, Apostolica Sedes, totius Ordinis bono prospiciens, saepe sive per Decretales Regulae Declarationes, sive per appositas Constitutiones, tutissimos modos indicavit, quibus Fratres suis necessitatibus occurrere valerent, quin puritas paupertatis in aliquo macularetur. His igitur Apostolicis Constitutionibus ac Declarationibus, quae nullam Regulae dispensationem admittunt, et Statutis in praedicto Motu proprio contentis minime adversantur, Missionarii firmiter inhaereant.

III. Vita communis iuxta praescriptiones S. C. Tridentini ab omnibus adamussim servetur; Constitutiones Generales Ordinis, in quibus modus providendi necessitatibus Fratrum tam in sana quam in aegra valetudine praescribitur, quin ad id particulari peculio, vel specialibus eleemosynis aliquis Religiosus indigeat, in omnibus Collegiis ad unguem, et sub poenis transgressoribus in illis impositis, observentur. Et ne benefactorum devotio alicuius particularis commodis applicetur, et Communitas ali-

qualiter fraudetur, nemini prorsus permittatur, apud Syndicum Apostolicum, aut alium spiritualem amicum, aliquam pecuniariam eleemosynam, cuiuscumque dominii sit pro suis particularibus necessitatibus habere, nec cuivis similiter liceat munuscuea, quantumvis levia, dare vel recipere, sed omnia Praelato, eiusque dispositioni subsint, ac sine eius licentia nihil prorsus detur vel recipiatur in praefatis Collegiis, ne inter ipsos quidem Religiosos.

IV. Frugalitatem in mensa, tam intra quam extra claustra, semper servare curent, et a cibis et potibus delicatis, veluti a spiritualis vitae peste, abhorreant. Idcirco conviviis in domibus saecularium non adsint; imo, etiam itinerantes, domos, in quibus praedicta eis apponuntur, absque necessitate, non seligant.

V. Omnes Collegii Fratres indiscriminatim exterius induant habitum cinericei coloris, nempe ex lana alba et nigra textum absque ulla tinctura, in quo vilitas et humilitas appareant. Quoad formam vero, ea ad litteram servetur, quae in Congregatione Toletana determinata fuit.

VI. Extra tempus pro adimplemento praecepti paschalis in America assignatum, singulis diebus, exceptis Dominicis, festis, classicis, diebus recreationis, et iis etiam, a Discretorio iudicandis, in quibus magnus fit concursus fidelium ad tribunal poenitentiae, per integram horam habeantur lectiones, sive conferentiae, super re theologica, aut casibus conscientiae, aut alio argumento, quod ad exercitium apostolici ministerii propius referatur. His conferentiis omnes (praeter eos qui actu docent,

Novitiorum Magistros et Studentes) intersint, et de habita lectione teneantur reddere rationem, quotiescumque a Guardiano, vel ab eius deputato, interrogati fuerint. Curent autem, ut in praedictis conferentiis doctrinae auctorum probatorum, et animarum saluti aptiores prae oculis habeantur, et, quoad fieri potest, concordes sint in doctrina, ut facilius utiliusque tum sacerdotum ministerio, tum fidelium saluti prospiciatur.

VII. Omnes indispensabiliter quotidie orationi mentali vacent per horam cum dimidio, dimidia scilicet hora mane, hora autem integra post completorium, vel alio fortassis opportuniori tempore, iuxta conditiones locorum, prout Discretorio cuiusque Collegii magis expediri videbitur.

VIII. Horae canonicae temporo assignato attente devote, et competenti pausa persolvantur, sed sine cantu, et voce media ac fere submissa, ut plus temporis studio et apostolici ministerii exercitiis impendantur, Dominicis tamen diebus, festis et classicis cantus gregorianus tantum, quocumque alio prorsus excluso, moderate tamen et omnino parce, adhiberi poterit. Huiusmodi autem divino officio, orationi mentali, ac Missae conventuali omnes, nullo prorsus excepto, assistant.

IX. Sacerdotes Collegii, omnes gradatim, ab ipso Guardiano inclusive, officium hebdomadarii agant, et in servitio Communitatis (servato quidem ordine hierarchico, quo familiae recte ordinatae nunquam carent) quoad fieri possit, sint pares, privilegiis, praerogativis et gratiis ex quocumque titulo

provenientibus, etiam ab hac Apostolica Sede obtentis, quas ad hoc tantum pro Collegiis suspendimus, minime obstantibus. Qui actu docent, etsi hac tantum de causa nulla praecedentia eis concedatur, a Matutino tamen, ab hebdomada, a ministerio altaris, ab horario quotidianae celebrationis, caeterisque ministeriis, si velint, dispensantur, quae dispensatio conceditur etiam senibus, si ipsis ea uti placuerit.

X. In quolibet Collegio ianitor diligentia ac morum gravitate maxime commendandus, constituatur, qui ianuam, quae clausa semper teneri debet, fideliter custodiat, et ad eam venientes religiosis verbis et affabilitate excipiat. Neminem autem ex Religiosis ad colloquendum cum saecularibus vocet, nisi prius a Superiore pro ipso licentiam obtinuerit, quam tamen raro concedi volumus. Foeminarum vero colloquia, quantumvis brevissima, quoad fieri possit, semper et ubique vitentur.

XI. Ingressus ad interiora Collegii claustra nemini saecularium permittatur, sed in claustro inferiori, vel propiori ianuae, si Collegium superiora non habeat, aliquod honestum cubiculum destinetur, ubi viri saeculares quaerentes aliquem ex Missionariis pro sua spirituali consolatione, nunquam tamen extra horas debitas, excipiantur. Quoad vero praedictorum saecularium, praesertim adolescentium, moram et pernoctationem in Collegio, nec non quoad suppellectilium et ornamentorum commodationem, serventur Decreta S. Congregationis Auctoritate Apostolica confirmata.

XII. Missionarii in Collegio morantes totum tempus, quod ab actibus communibus superest, spiritualibus exercitiis et, studio ad eorum ministerium pertinenti impendant. Quod si nonnulli inventi fuerint per Collegium vagantes, vel otiose colloquentes, vel ad inutilia dediti, si a Superiore correcti non se emendaverint, publica poenitentia coram Communitate puniantur.

XIII. Sermones panegyrici in Collegiis nullimode acceptentur, iique tantum fiant, qui occasione Missionum necessarii videntur. In festivitatibus autem quae ex laudabili consuetudine in Collegiis solent iam celebrari, orationes panegyricae quidem permittuntur, ita tamen, ut in ipsis animarum lucrum attendatur, et fideles in simplicitate sermonis instructi ad vitia vitanda, virtutes colendas et peccata detestanda excitentur. Eumdem in finem stricte praecipimus, ut in Ecclesia cuiuslibet Collegii, singulis diebus Dominicis, et aliis festivis per annum occurrentibus, dummodo alii sermones non habeantur, ab omnibus Missionariis Collegii, ordinate et successive eodem ordine scilicet, quo hebdomadarii munere funguntur, ab ipso Guardiano inclusive, si fieri, potest, senioribus tantum, si ipsi velint, exceptis, hora competenti a Discretorio assignanda, Doctrina Christiana methodo catechetica, et ad omnium intelligentiam apta, explicetur. Ut autem recte, ordinateque cuncta procedant, Guardianus pro tempore, in principio cuiuslibet anni, singulis Missionariis materiam ab ipsis explicandam assignare curet, iuxta Catechismum Romanum, quem praecipimus, ut omnes

tum quoad doctrinam, tum quoad ordinem, fideliter sequantur.

XIV. Nemini liceat quidquid typis mandare, nisi praevia revisione et approbatione Discretorii proprii Collegii et Ordinarii loci. Attamen, si non agatur de operibus iam editis, vel de opusculis seu liberculis parvae molis, sed de novis operibus edendis spectat ad Commissarium Generalem duos revisores, ex quocumque Collegio seligendos, deputare, et licentiam pro impressione concedere, sine qua nemini fas sit libros typis committere. Librorum autem editorum distributio ad Discretorium pertineat, quod benefaetores et amicos spirituales ab auctore vel impressionis sollicitatore declaratos semper praeferendos curet.

XV. Missionariis permittimus, ut ad proprium usum, dum in Collegio morantur, eos libros de licentia suorum Superiorum retineant, quos, licet hic et nunc iis non indigeant, attamen cum ad missiones Infidelium fuerint destinati, necessarios sive utiles sibi esse iudicaverint. Libros vero pro suo munere non necessarios, a benefactoribus dono acceptos, Bibliothecae sui Collegii statim cedere teneantur; ad hunc enim finem tantummodo praedictam donationem acceptare sinuntur. Discedentes vero e Collegiis, omnes libros, exceptis vere necessariis, a Guardiano et Discretorio visis, secum ferendis, Superiori locali pro praefata Bibliotheca, vel pro aliis Missionariis Collegii, debeant resignare; neque ulli liceat unquam, sub poenis contra proprietarios statutis, de illis pro lubitu disponere.

XVI. Quoad eleemosynas concionatorum, libros defunctorum et Bibliothecas, in omnibus Collegiis servetur Breve - *Exponi nobis* - a Ven. Praed. Nostro Innocentio XI die XVI Octobris MDCLXXXV emanatum.

XVII. A lectione spirituali raro in refectorio dispensetur; a silentio autem, quoad fieri possit, nunquam. In dormitoriis vero, claustris et sacristia, si necessitas urgeat, fratres nonnisi submissa voce colloquentur. Quoad disciplinas, ieiunia praeter Regulam, capitula culparum, caeteraque ad spiritum Regulae fovendum, et ad religiosam observantiam promovendam conducentia, Statutis Generalibus Ordinis, huic Nostrae Constitutioni non adversantibus, se conforment.

XVIII. Communitas e Collegio non exeat, nisi raro et gravissima de causa, uti ex. gr. ad exequias Episcopi, Praesidis Reipublicae, aut alicuius Religiosi proprii Ordinis, aut Syndici Apostolici; nunquam vero ad alios defunctos sociandos, vel ad alia funera celebranda. Quoad vero publicas processiones, quae calamitates publicas non respiciunt, in his tantum locis ad eas accedere permittimus, in quibus iam viget consuetudo.

XIX. Nemini licentia concedatur egrediendi e Collegio, nisi gravi de causa Superiori nota, idque rarissime fiat, et nunquam, si fieri potest sine socio; quo enim magis Missionarii consortia saecularium fugiunt, et claustralem solitudinem sectantur eo aptiores ad reprehendenda mundanorum vitia redduntur. Nunquam autem recreationis gratia egressus

e claustro permittatur, nisi collegialiter diebus a Guardiano et Discretis assignandis.

XX. Ut autem ordo hierarchicus, qui in omnibus communitatibus bene ordinatis nunquam deesse debet, in Missionum Collegiis perfecte servetur, sequentia, quoad praecedentiam, statuimus. Post Guardianum, primum locum occupabit actualis Missionum Praefectus; deinde ex-Commissarii Generales, qui saltem per triennium completum suo officio functi fuerint; et postea ex-Praefecti Missionum, qui sexennium sui muneris compleverint. His per ordinem sequuntur ex-Guardiani, qui per triennium completum communitatem gubernarunt; deinde qui fuerunt Collectores Missionariorum in Europa. Inter praedictos omnes attendenda erit antiquitas electionis in respectivo officio, quod exercuerunt. Postea locum habebunt quatuor Discreti actuales Collegii, habito respectu inter ipsos ad Discretoriatus antiquitatem quod si fuerint omnes prima vice electi in eodem Capitulo, praecedat religione antiquior. Post Discretos actuales sequitur Vicarius Collegii; deinde actualis Novitiorum Magister; quod si uterque, aut alter ad dignorem locum ius habeat, illum retinere poterit. Caeteri autem Religiosi, etiamsi officiis Discretis Vicarii aut Magistri functi fuerint, iuxta antiquitatem habitus locum habebunt.

XXI. Quod si in aliquo Collegio Missionum adsint Patres Ordinis, vel ex-Provinciales, aut Lectores Iubilati, Patres Ordinis locum habebunt immediate post actualem Missionum Praefectum; ex-Provinciales immediate post ex-Commissario Generales,

et Lectores Iubilati immediate post ex-Guardianos eiusdem Collegii. Ex-Guardiani vero, ex-Praefecti Missionum, et ex-Collectores Missionariorum aliorum Collegiorum, locum habebunt post illos, qui in proprio Collegio eodem officio functi sunt. Praedicti autem, Patribus Ordinis exceptis, omnes, et etiam ex-Commissarii Generales, licet praecedentia gaudeant, non tamen considerantur prout Discreti habituales; et ideo in Discretorio, ex hoc tantum titulo, partem non habent, nec communitatem, Guardiano et Vicario absentibus, gubernare poterunt.

De Electionibus

XXII. Electio Guardiani, Praefecti Missionum, et quatuor Discretorum actualium cuiuslibet Collegii, canonica esse debet, et sic in posterum facienda. Primo, omnes vocales suffragia ferant pro electione solius Guardiani; postea, Guardiano electo, pro solo Missionum Praefecto, si eligendus sit; ac tandem pro quatuor Discretis, sive seorsim, sive coniunctim prout a Preside et Discretorio fuerit prius resolutum et vocalibus nuntiatum: et cui maior pars vocalium suffragata fuerint, ille statim renuntiabitur electus pro suo respectivo officio.

XXIII. In his autem electionibus voce activa gaudebunt omnes sacerdotes (exclusis tamen qui nondum cursum studiorum absolverunt) solemniter professi, qui ab uno completo anno eidem Collegio sint incorporati. Nemo vero voce passiva, in dictis electionibus, gaudebit, quin, praeter ea omnia, quae

a iure communi et a Constitutionibus Generalibus Ordinis (de qualitate eligendorum) requiruntur pro Praelatis, sit solemniter professus, et a quatuor completis annis eidem Collegio incorporatus. Cum Patribus autem, qui decennio saltem in Collegio laudabiliter transacto, in illo perseverant, et quamvis ob aliquam infirmitatem vitam communem in omnibus sequi nequeunt, religiosae tamen disciplinae tenaciter inhaerent, et Collegium ac Infidelium Conversiones cordi habent, Commissarius Generalis, sive Praeses Capituli, poterit dispensare, ut ad vocem passivam in electione quatuor Discretorum admittantur. Non liceat autem Commissario Generali, sive Praesidi eiusdem Capituli, nec Discretorio, renuntiationes vocis passivae alicuius ante Capitulum acceptare, quas omnino prohibemus.

XXIV. Guardianus et Discreti de celebratione futuri Capituli (nunquam in Hospitiis, sed in Collegiis tantum celebrandi) teneantur, ante sex menses certiorem facere Commissarium Generalem, ut ipse tempore opportuno omnes vocales valeat ad illud convocare.

XXV. Constituimus ac praecipimus, ut in posterum anni incorporationis, tum ad vocem activam et passivam consequendam, tum ad decennium Missionis inchoandum, pro Religiosis Provinciarum, sive Europae, sive Americae filiis, a die quo ad Collegium pervenerint, si sacerdotes iam fuerint, vel a die, quo ad sacrum Presbyteratus Ordinem promovebuntur, si sacerdotes nondum fuerint, omnino computentur. Pro iis vero, qui in ipso Collegio ad

habitum et professionem fuerunt admissi, si sacerdotes iam fuerint, computatio pro omnibus, ut supra, fiet a die, quo solemnem emittunt professionem quod si nondum sacerdotio fuerint insigniti, a die quo ad sacerdotium promovebuntur. Missionarii vero qui post completum decennium, relicto suo Collegio ad proprias Provincias redeunt, vel si agitur de illis, qui in ipso Collegio sunt professi, alicui Provinciae (uti n. LXI. dicitur) sese incorporarunt, et postea ad idem Collegium reverti cupientes, a Discretorio denuo (uti n. LXIV praescribitur) recepti fuerint, ius ad vocem activam et passivam, si aliunde nihil obstet, ipsi statim acquirunt. Quod si non ad pristinum, sed ad aliud redeunt Collegium, vocem activam et passivam in dicto Collegio non habebunt nisi post annum completum, a die quo ad dictum Collegium pervenerint, computandum: et sic pariter dicendum de omnibus Missionariis, qui, post completum decennium, de uno ad alterum transeunt Collegium.

XXVI. Omnes Missionarii in Capitulo votum habentes, opportuno tempore, a Commissario Generali convocandi sunt, etiamsi certe sciatur illos venire non posse. Et quia Missiones, seu Infidelium Conversiones, et *Doctrinae* Collegio addictae, derelinqui omnino non possunt; ideo statuimus, quod, uno tantum ex Missionariis in unoquoque loco remanente, caeteri ad Capitulum ire teneantur, iique, nisi bonum Missionis, vel alia rerum adiuncta aliter suadeant, semper erunt antiquiores in praecedentia. Qui Capitulo adesse nequeunt, vocem suam seu

suffragium in scriptis abdicabunt, et haec abdicatio sive voti renuntiatio, a Praeside et Discretorio prius examinata, coram Capitulo publicetur. Ille vero, qui ad Capitulum ire quidem posset absque gravi damno, sive proprio, sive muneris sibi commissi, et tamen non venit, si plene apud Commissarium Generalem, sive Praesidem Capituli, et Discretorium se per litteras non iustificet, privabitur voce passiva in Capitulo actuali, et activa ac passiva in Capitulo subsequenti.

XXVII. Ex Hospitiis autem, si quinque tantum vel minus sacerdotes inibi morantur, solus Praeses, praeter Patres Collegii, si adsint, si vero numerus sacerdotum excedat, etiam alter ex antiquioribus, primus in praecedentia, post Patres Collegii, qui semper ire debent, ius habeat, et ad Capitulum ire teneatur. Quod si Praeses legitime impeditus fuerit, votum suum scripto abdicet, et in eius locum alius, iuxta ordinem praecedentiae, uti dictum est, ad Capitulum concurrat. Porro Praeses sub poena privationis vocis activae et passivae secum ferat, aut mittat, libros suae administrationis, Praesidi Capituli exhibendos.

XXVIII. Quod si ad aliquem fortuito, omni fraude remota, epistola convocatoria non pervenerit, et ipse ad locum Capituli, tempore debito, non comparuerit, is suum votum sive suffragium abdicasse praesumatur. At si constare poterit ipsum fraudulenter egisse, ut epistola ad suas manus non perveniret, vel ad ipsum mitti possit, ne ad Capitulum accedere cogeretur, aut quocumque alio fine, ipsum

voce activa et passiva in actuali et subsequenti Capitulo privatum declaramus.

XXIX. Capitulo celebrato, Praeses convocabit ad Congregationem Discretorialem novum electum Guardianum, Discretos actuales, caeterosque in Discretorio votum habentes, et cum ipsis, Guardiano praestantiores proponente, per vota secreta fiet electio Magistri Novitiorum, viva autem voce electiones fient Vicarii Collegii, Praesidum Hospitiorum et Conversionum, si necesse fuerit, et Rectoris Tertii Ordinis de Poenitentia. Praeterea, si oportuerit, eligatur etiam, Praefecto tamen proponente, Vice-Praefectus Missionum Infidelium. Nemo autem in Magistrum Novitiorum, etiamsi Novitii actualiter desint, eligi possit, qui, praeter ea omnia, quae a Constitutionibus Apostolicis et Ordinis Statutis in Magistro requiruntur, saltem per quadriennium completum in eodem Collegio laudabiliter non sit commoratus, et Ordinem, Collegium, Conversionesque Infidelium, prae caeteris Missionariis, cordi maxime non habeat. Vicarius vero, Vice-Praefectus et Praesides, quoad fieri potest, iisdem dotibus sint praediti, quae requiruntur pro Praelatis, et omnes, saltem a tribus completis annis, eidem Collegio sint incorporati.

XXX. In Congregatione pariter Discretoriali post Capitulum habenda, eligantur, Guardiano aptiores proponente, duo Procuratores solemniter professi, qui etiam ex Fratribus Laicis assumi possunt, unus nempe pro Collegio, et alter pro Missionibus. His autem facultatem facimus pecuniam recipiendi, contrectandi et expendendi, pro suo cuique officio. Prae-

terea, quando necessitas vel utilitas id exigat, ipsis facultatem etiam concedimus, ut, sive inter se, sive inter Procuratores aliorum Collegiorum et Conventuum, sibi invicem opem ferre possint. Superior localis praedictos Procuratores ab aliquibus communitatis actibus, cum munus id exigat tantum, eximere valeat.

XXXI. Eligatur etiam Chronologus Collegii, cuius erit progressum, fructum, casus seu eventus extraordinarios Missionum, tam inter Infideles, quam inter fideles, recensere; Missionariorum gesta et vitam exemplarem describere; dubiorum in Missionibus occurrentium, ipsorumque decisiones adnotare; nec non historiam Collegii et Missionum diligenter exarare, quam Guardianus typis committere poterit, si a Discretorio revisa et approbata fuerit. Ipsi vero Chronologo, cum opus fuerit, aliquae exemptiones, ad tempus, a Discretorio concedi possint.

XXXII. Omnes praedicti in Congregationibus Discretorialibus electi, per triennium in suo respectivo officio perdurabunt; possunt tamen, si religiose ac diligenter suo officio functi fuerint, a Congregatione Discretoriali subsequenti ulterius confirmari, sicuti etiam, quandocumque iusta interveniat causa, intra ipsum triennium amoveri, Magistro Novitiorum excepto, qui saltem per triennium in officio perdurare debet. Vacante autem quolibet ex praefatis officiis, Guardianus et Discreti teneantur intra octiduum de alio Religioso providere.

XXXIII. Si Guardianus, aut Praefectus Missionum, aut aliquis ex Discretis noviter electis, ante

Capituli solutionem renuntiaverit, tunc ad praedictum Capitulum pertineat causas renuntiationis examinare, eaque per vota secreta acceptata, ad novam electionem devenire.

XXXIV. Quod si in Guardianum aliquis ex Missionariis absentibus electus fuerit, tunc Praeses Capituli cum Discretis in Collegio commorantibus eligat Vicarium, caeterasque electiones perficiat. Vicarius autem praefatus, tamquam *Praeses in capite*, rem omnem administrabit, primum locum occupans, usque dum electus Guardianus ad Collegium perveniat. Quod si novus electus Guardianus interim e vita exciderit, vel officium, Capitulo iam soluto, renuntiaverit, et renuntiatio a Praeside Capituli, si adsit, alias a Commissario Generali et Discretorio, propter gravia rationum momenta, acceptata fuerit, vel intra annum suae electionis obierit, aut quocumque alio modo deficiat; tunc Vicarius praedictus communitatem gubernabit, veluti *Praeses in capite*, cum omnibus facultatibus Guardianis concessis, usque dum Commissarius Generalis, de assensu maioris partis Discretorum, aliud Capitulum convocet, nunquam tamen ultra annum cum dimidio a prioribus electionibus differendum, ad novam solius Guardiani electionem, qui si ex actualibus Discretis assumptus fuerit, alius in illius locum Discretus eligatur. Recens autem electus Guardianus, caeteris omnibus in suo proprio officio permanentibus, suum gubernium usque ad incepti trienii exitum gerat, cum omnibus facultatibus et privilegiis Guardianis triennalibus concessis. Si vero Guardianus, in secundo aut tertio sui gu-

bernii anno, quomodocumque deficiat, Vicarius tamquam *Praeses in capite*, cum facultatibus, quae Guardianis competunt, usque ad proximum Capitulum, ultra solitum triennium nunquam protrahendum, communitatem moderabitur. Facultas tamen conceditur Commissario Generali, si de consilio et assensu maioris partis Discretorum id necessarium aut opportunum visum fuerit, Capitulum immediate celebrandi, aut saltem anticipandi, ad novas Guardiani, Discretorum, caeterorumque officialium electiones faciendas, et ad novum triennium proinde inchoandum. Porro declaramus *Praesidentes in capite*, ius non habere ad privilegia ex-Guardianis concessa, voce tamen passiva, dummodo aliunde non sint inhabiles, in subsequenti Capitulo gaudere. Declaramus insuper Guardianos et Missionum Praefectos ab officio immediate cessantes, eligibiles non esse, nisi post aliud triennium sive sexennium respective transactum.

XXXV. Si Praefectus Missionum, vel aliquis ex Discretis actualibus noviter electis, absens fuerit, et officium, soluto iam Capitulo, renuntiaverit, ad Commissarium Generalem, sive Praesidem Capituli, si in Collegio adhuc praesentes fuerint, cum Discretorio, vel secus ad solum Discretorium, ne diutius Missiones Infidelium Praefecto careant, spectat eius causas examinare; et si renuntiatio ab ipsis acceptata fuerit, intra tres dies a sacerdotibus in Collegio degentibus, et voce activa praeditis sub praesidentia Commissarii Generalis, sive Praesidis Capituli celebrati, vel, eo absente, Guardiani

Collegii, fiet nova electio; et novus electus Praefectus suum gubernium usque ad incepti sexennii exitum gerat, quin tamen facultatibus et privilegiis Praefectis concessis aliquod praeiudicium inferatur.

De Guardianis.

XXXVI. Guardianus suam communitatem in Domino regat atque gubernet, praesente etiam Commissario Generali, qui in interno Collegiorum gubernio nullatenus immiscere se debet, nisi tempore canonicae visitationis, et ex officio pro aliquo particulari et gravi casu. Ipsi tamen tam Guardianus, quam caeteri Religiosi, honorem, reverentiam ac obedientiam praestare tenentur. E Collegio, durante triennio, Guardianus nunquam absit, quod si per breve tempus, et ob gravem causam aliquando abesse cogatur, in Collegio adsit saltem Vicarius, qui eius vices agat, et communitati praesideat. Verum si contigerit, quod vix unquam est permittendum, ut ambo absint, tunc Guardiani vices, in communitatis gubernio, agat antiquior ex Discretis habitualibus, si adsint, secus antiquior ex actualibus, Praefecto tamen actuali Missionum semper excluso; huius enim munus incompatibile omnino declaratur cum communitatis gubernio.

XXXVII. Guardianus, vel in eius absentia Vicarius, sive quisquis eius vices gerat, temporibus opportunis, et quando necessarium iudicaverit, cum Discretorii consilio, et absque ullo Missionum Infidelium detrimento, mittat Missionarios binos et binos,

aut in maiori numero (nunquam vero solos) prout animarum saluti et necessitati viderit expedire, ad Missiones praedicandas in locis fidelium, assignando eis civitates, oppida et pagos, in quibus suas Missiones facere debent, de licentia tamen Ordinarii, et iuxta regulas in Statutis Municipalibus uniuscuiusque Collegii determinandas, et ab omnibus indispensabiliter servandas. Relinquantur tamen in Collegio, qui ad communitatis exercitia ordinaria, sine alteratione explenda, sunt necessarii, et hi, aliis revertentibus, mitti possunt.

XXXVIII. Quamvis autem Guardiano, Vicario, sive cuicumque eorum vices agenti, licitum sit Missionarios ad populos fidelium mittere per illud temporis spatium, quod mature ac prudenter, magnis locorum distantiis, caeterisque adiunctis perpensis, opportunum ac necessarium videbitur; volumus tamen, ac eorum conscientiam respective oneramus, ne diutius quam par sit, Missionarios extra claustra versari permittant, ne fervor et Dei spiritus in eis extinguatur. Et ideo, cum suos subditos ad praedictas Missiones exercendas mittunt, singulis vicibus etiam tempus eis assignent, quod sex menses, si fieri potest, ordinarie non multum excedat; quo expleto, et quandocumque ab ipso Superiore revocati fuerint, Missionarii, sub poena expulsionis e Collegio incurrenda, debent cessare a Missione et ad claustra redire, ut ibi vires spirituales ac corporales reficiant. Curet autem Superior et Discretorium, ne nimis frequenter iidem ad Missiones praedicandas destinentur.

XXXIX. Collegiorum Guardiani, absque ullo iurium ac facultatum Ordinariorum praeiudicio, possunt concedere suis subditis, intra vel extra claustra ex obedientia degentibus, facultatem absolvendi a casibus in Ordine reservatis, absque temporis limitatione; quae omnia conceduntur etiam Praefectis Missionum pro suis subditis, qui Infidelium ac neophytorum Missionibus inserviunt.

XL. Liceat Guardianis cum suis Discretis ubique Collegiorum et Missionum Syndicos Apostolicos, necessitate, aut etiam utilitate urgente, nominare ac instituere, etiam Commissario Generali non audito.

XLI. Nulli Guardiano, aut Missionum Praefecto licebit unquam Religiosos respective subditos extra terminos propriae Guardianiae aut Praefecturae mittere, absque licentia Commissarii Generalis, singulis vicibus in scriptis obtinenda, excepto casu, in quo Religiosi coguntur ad alterius Guardianiae seu Praefecturae territorium transire, ut sese ferant ad Infidelium Missiones, aut *Antiquas Doctrinas;* aut quando ad confessiones, *vulgo al campo,* excipiendas, vel ad Missiones inter fideles, uti dictum est, praedicandas missi sunt; vel quando Guardianus, cum assensu maioris partis Discretorum (qui assensus est necessarius, etiam quando agitur de propria Guardiania) suos subditos mittere cogitur ad sermones quadragesimales praedicandos, vel ad alia quaecumque ministeria sacerdotalia, ad tempus, in paroeciis exercenda.

XLII. Guardiani cum suis respectivis Discretis, Missionum Praefecto audito, tenentur quotannis ad

Ministrum Generalem Ordinis accuratissimam et conscientiosam relationem de zelo, observantia, operositate, tractu, modoque agendi uniuscuiusque Missionarii sui Collegii mittere, ut supremo Ordinis Moderatori semper clare pateat, quid unusquisque Missionarius agat, et quomodo in Collegio, et praesertim quoad Missiones Infidelium, se gerat. Ministro autem Generali praefato omnimodam concedimus facultatem, quemlibet ex Missionariis, qui in Collegio minus recte se gerat, ad propriam Provinciam quandocumque remittendi, vel alio (quoad filios Collegiorum) transferendi, audito tamen prius pro informatione et voto respectivo Commissario Generali.

XLIII. Denique quidquid Provinciali erga suos subditos licet, liceat pariter et Guardianis in suos; quod Provinciali cum suo Definitorio, id et Guardianis itidem fas erit cum suis Discretis, sed in iis tantum, quae huic Nostrae Constitutioni minime opponuntur.

De Discretorio.

XLIV. Ad graviora negotia Collegii et Missionum pertractanda Discretorium instituitur, quod constabit Guardiano Collegii, Praefecto actuali Missionum, quatuor Discretis actualibus in Capitulo canonice electis, et Patribus Collegii. Hi autem Patres Collegii sunt, qui officium Commissarii Generalis, saltem per triennium completum, exercuerunt; qui Praefecti Missionum munere per sexennium completum, et qui Guardianatu per triennium completum functi fuerint; demum qui fuerunt Collectores Missionario-

rum in Europa. Hi autem omnes, in proprio Collegio tantum, locum in Discretorio habent, et Discreti habituales vocantur.

XLV. Omnes Discreti, tam actuales, quam habituales, suffragium habeant in omnibus negotiis, quae Discretis et Definitoribus per hanc Constitutionem et Statuta Generalia Ordinis committuntur; et ideo a Guardiano omnes semper convocandi sunt, nec cuilibet illorum liberum erit se eximere, nisi iusta et gravi interveniente causa, ab ipso Discretorio toties quoties approbanda. Unusquisque autem non modo votum iuxta conscientiae dictamen dare tenetur, verum etiam iubetur de his omnibus, quae in Discretorio fuerunt discussa, secretum servare; et idcirco, si constaret aliquem ex Discretis negotia in Discretorio discussa alicui, praesertim ex saecularibus, quod Deus avertat, directe vel indirecte revelasse, Commissarius Generalis poenas in Constitutionibus Generalibus Ordinis, contra revelantes secreta Ordinis statutas, ipsi applicare poterit. Praeterea, si gravitas rei id postulare videtur, ipse Commissarius Generalis factum ad Ministrum Generalem referat, cui omnimodam facimus facultatem praefatum Discretum e Collegio revocandi, et ad propriam Provinciam remittendi, vel alio, quoad filios Collegiorum, illum transferendi.

XLVI. Si quis ex Discretis actualibus, non vero ex caeteris in Discretorio vocem habentibus, ob mortem, vel renuntiationem, vel depositionem, vel discessionem e Collegio, durante triennio, defecerit, tunc antiquior et dignior Missionarius eiusdem Col-

legii, qui actu non sit ex gremio Discretorii (et inter istos, qui alia vice fuerunt Discreti praeferantur) usque ad proximum Capitulum subrogatus declaratur. In absentia vero alicuius ex praedictis Discretis actualibus, item antiquior et dignior Missionarius, ut supra, pro tempore illius absentiae substituatur.

XLVII. In Congregationibus Discretorialibus, quando suffragia pro una et altera parte fuerint aequalia, si sunt publica, pars, in qua adest Guardianus, praevaleat; si vero fuerint secreta, tunc, post tertiam ballottationem, si neutra praevaleat, Guardianus decisivum votum habeat. Curent autem Guardiani, ut, si agatur de re gravi, aut nova et insueta, negotium proponant in Discretorio, quando omnes Discreti, tam actuales, quam habituales, in Collegio praesentes sunt.

De Novitiis.

XLVIII. Guardianus cum approbatione et assensu maioris partis Discretorum, per suffragia secreta, et servatis omnibus, quae a S. C. Tridentino, Apostolicis Decretis et Constitutionibus Generalibus Ordinis praescribuntur, poterit Novitios, tam Clericos, quam Laicos, recipere, eosque ad habitum et professionem religiosam, suo tempore, admittere. Recipiendi autem, prout in Constitutionibus Generalibus praescribitur, bonis moribus, pietate ac solida vocatione informati esse debent, nec non, si Clerici, tali scientia aut idoneitate praediti, ut, professione emissa, statuque clericali transacto, alicui exercitio

ex illis, ad quae Collegia sunt erecta, tuto et cum animarum aedificatione et profectu vacare valeant. Novitii sic recepti et admissi, Magistro Novitiorum illico tradantur, ut eis qualitatem et perfectionem vitae, quam amplecti et profiteri desiderant, ante habitus susceptionem explicet. Meminerint Magistri, durante anno Novitiatus, studiorum applicationem, quae Regulam, vitamque religiosam non respiciant, Novitiis esse interdictam.

XLIX. Non solum autem Novitios, verum etiam omnes Clericos Professos in Collegio quomodocumque existentes, omnino volumus, ut usque ad sacerdotalem promotionem in loco separato degant, et sub disciplina Magistri Novitiorum vivant; ad quem tantum pertineat eos dirigere atque corrigere, tam in choro, quam in refectorio (nisi ipse Guardianus hoc sibi reservare velit) et alibi, ita ut nemo prorsus in his, absque eius assensu, se ingerere unquam possit. Praedictus Magister nunquam permittat, ut, studiorum curriculo durante, aliis occupationibus, sive studiis, a quovis et sub quocumque praetextu applicentur, quae eos a lectionibus scholasticis, vel ab amore scientiarum ad ministerium apostolicum spectantium, non sine gravi Collegii iactura, distrahunt. Praeterea, ipsemet Magister diebus dominicis et festivis, in quibus Clerici lectionem scholasticam non habent, collationes spirituales super Regulam et super obligationes religiosas eis facere non omittat; honestam conversationem servandam, sive cum fratribus, sive cum saecularibus, eos edoceat; exercitium sanctae orationis et devotionis verbo et exemplo

instanter urgeat: in sacris coeremoniis eos exerceat; amorem ardentem propriae sanctificationis, fervorem erga Infidelium Conversiones, verum affectum erga Collegium, ipsiusque disciplinam magis magisque in dies tenaciter servandam, fovendamque eisdem infundat, ut sic proficientes in scientiis, proficiant etiam in virtutibus, ac aptiores fiant ad ministerium apostolicum, suo tempore, cum animarum profectu exercendum. Eumdem in finem stricte praecipimus, ut discretorium illos tantum ad Clericos in scientiis informandos seligat et deputet, quos non modo doctrina, gravitas morum et abstractio a saeculo, verum etiam affectus sincerus et fervens erga Collegium et praecipue erga Missiones Infidelium, commendat.

De Missionariis in Collegio admittendis et dimittendis.

L. In praefatis Collegiis, tam erectis quam in posterum erigendis, tot Religiosi de familia admitti possunt, quot iudicio Commissarii Generalis et Discretorii cuiuslibet Collegii, necessitatibus, tum Conversionum Infidelium, tum populorum fidelium, nec non eleemosynis pro victu et vestitu ordinarie habitis rite prudenterque perpensis, necessarii censeantur; eorumque numerus augeri, vel minui potest, iuxta diversa locorum ac temporum adiuncta. Nullum autem Religiosum in dictis Collegiis admitti posse volumus, qui infideles catechesim docere, verbum Dei praedicare et confessiones audire cum honore apostolici ministerii non valeat.

LI. Ad Discretorium cuiuslibet Collegii (immediate, vel mediate per suum Collectorem, ut infra dicetur) pertineat Religiosos, tum sacerdotes, tum laicos, ad Collegium admittere; ideoque qui ad praedicta Collegia transire voluerint, ad praefatum Discretorium suas preces porrigant, a quo, ut admittantur, necesse est, ut, post accuratam et secretam informationem de zelo, idoneitate ac vera vocatione, consensus maioris partis eiusdem Discretorii accedat. Laici vero, praeter quam devoti et probatae vitae, debent etiam esse omnino apti pro officiis in Collegiis exercendis.

LII. Ad Discretorium item spectat, Guardiano quidem proponente, nunquam tamen inconsulto et absente Missionum Praefecto, Religiosum gravitate et prudentia conspicuum, seligere, qui ad Provincias Europae accedat, ut ex iis, habito prius a Rmo P. ministro Generali Ordinis assensu, et non aliter, tot iuvenes ad Novitiatum admittendos, et tot Religiosos inter eos, qui sponte sese offerunt, et idonei ei videntur, eligat, quot praedictum Discretorium ipsi colligendos praeceperat. Huic tamen Collectori, a Discretorio rite electo, litteras obedientiales, pro itinere conficiendo. solus Commissarius Generalis dare possit, quas tamen, absque gravi causa, ipse negare unquam valeat.

LIII. Praefato Collectori, commissione durante, facultatem concedimus pecuniam recipiendi, contrectandi et expendendi, tam pro praedicto munere obeundo, quam pro quibuslibet illorum Collegiorum Missionum et Missionariorum necessitatibus.

LIV. Volumus autem, ut praefatus Collector sollicitam curam gerat, ne illos, quos non vere idoneos existimaverit, ad tam sanctum opus assumat; illique facultatem concedimus remittendi ad proprias Provincias Religiosos illos iam receptos, sed ad Collegium nondum perventos, quos inhabiles ad Missionum munus recognoverit, et loco illorum, alios recipiendi. Omnibus Religiosis ad praefatum Missionum munus selectis praecipimus, ut proprium Collectorem, durante itinere, tamquam legitimum Praelatum, et Delegatum Generalem agnoscant, eique in omnibus et per omnia obediant.

LV. Omnes Religiosi in Collegiis quomodocumque admissi, primo anno sui in Collegium ingressus, si in alio Collegio per idem tempus antea non fuerint, ad Missionem tam Infidelium, quam fidelium non mittantur, nisi necessitas urgeat, et dummodo eligendus sit omni exceptione maior; neque votum, uti dictum est, in electionibus habeant, sed quasi sub probatione maneant, ut de eorum sufficientia et idoneitate melius constet. Quod si intra annum de illorum insufficientia Discretorio constabit, statim e Collegio excludantur, et suis Provinciis reddantur, ut idonei tantum Missionarii in Collegiis maneant. Provinciales vero eos benigne recipere tenentur.

LVI. Et quia praedictorum Missionariorum laudabile ministerium omnium virtutum cumulo, orationis ac perfectionis omnimodae progressu, et strictissimae Regulae observantiae soliditate nitescere non desistit; imo, Deo dante, eorumdem Missionariorum exercitiis, quorum scopus est Infidelium po-

pulos ad agnitionem verae fidei et salvationis semitas adducere, industria et sollicitudine virtutes in messe Domini serere, vitia radicitus extirpare, animas Deo lucrifacere, ac Apostolorum, qui iam in orbe non existunt, munus gerere, laudabilius et perfectius in dies ostenditur; omnibus ac singulis Religiosis, tam subditis quam praelatis, cuiuscumque gradus, conditionis ac reformationis sint, per sanctam obedientiam, in virtute Spiritus Sancti, et sub poenis excommunicationis, privationisque officiorum et dignitatum, et inhabilitatis perpetuae ad illa obtinenda, ipso facto, et sine alia declaratione, incurrendis, praecipimus ac mandamus, ut nullo modo, directe vel indirecte, per se vel per interpositam personam, Religiosos sibi subditos, aut non subditos, ad praedictum sanctum opus transire volentes, et a Discretorio Collegii, sive per se, sive per suum Collectorem admissos, impediant, perturbent aut avertant; sed eis potius divinam inspirationem ac vocationem sequi charitative suadeant. Iisdem poenis et censuris subiicimus omnes illos, qui, quocumque praetextu, sive per se, sive per alios, directe vel indirecte, Missionarios ex suo respectivo Collegio, quandocumque et quomodocumque extrahere conantur.

LVII. Si contingat aliquando, quod aliquis Religiosus, qui iuxta Constitutiones Generales inter Patres Ordinis recensetur, ad aliquod ex Collegiis transire, et ibi Missionum exercitio vacare desideret, a Guardiano et Discretis, sive a quocumque Collectore, illico recipiatur; sed ne propria Provincia, seu totus Ordo, viris in gubernio adeo expertis om-

nino privetur, dictus Pater, etiamsi in Collegio de familia vivat, suffragia, subrogationes, praeminentias et privilegia sibi, tam in Provincia propria, quam in toto Ordine, iuxta Ordinis Statuta, debita, non amittat, illisque eo modo ibi frui possit, ac si a propria Provincia non exivisset. Sic enim Missionum exercitium viris magnae auctoritatis et experientiae honorabitur, quin aliquod detrimentum in eorum defectu seu separatione Ordo patiatur.

LVIII. Omnes Missionarii, qui ad Collegia Missionum transierunt, sive sint ex Europae, sive ex Americae Provinciis, sive ex quocumque alio loco, per decem annos completos ibi comorari teneantur. Decennio autem completo, cuique vel ad propriam Provinciam reverti, vel ad aliud Collegium, servatis servandis, transire permittitur. Attamen, ratione boni regiminis, quilibet Missionarius, qui Collegium deserere cogitat, sive capta occasione completi decennii, sive etiam quandocumque postea, tenetur ante sex menses suam intentionem, in scriptis, patefacere Guardiano et Discretis sui Collegii, ob quam declarationem (dummodo actualiter Superior vel Discretus non sit, quia tunc sui muneris exercitium interea, ipsi permittitur) ex ea die voci activae et passivae, et cuicumque subrogationis iuri, ipso facto renuntiasse intelligatur. Illi vero, qui in eodem Collegio velint remanere, petitionem suam in scriptis, decem dies ante decennii complementum Guardiano porrigant, qui omnibus Patribus in Discretorio votum habentibus convocatis, per secreta suffragia decernet, utrum pro bono Collegii expediat ipsos reti-

nere vel excludere. Et si ex tribus suffragiorum partibus, saltem duas non obtinuerint, e Collegio, intra quindecim dies, discedere cogantur; quo termino elapso, si non discesserint, in poenam suspensionis *ipso facto* incurrisse declaramus, a qua suspensione tantum Commissarius vel Minister Generalis potest illos absolvere. De exitu autem votationis praefatus Minister Generalis a Discretorio Collegii, singulis vicibus, certior reddatur. Respectivus autem Provincialis Missionarios ad suam matrem Provinciam revertentes, sub poenis contra eos, qui Missionarios impediunt, quominus ad Collegia transeant, taxatis, recipere semper teneantur.

LIX. Illi autem ex praefatis Missionariis, qui expleto decennio ad propriam Provinciam redire, vel ad aliud Collegium transire voluerint, facultatem ad id, et litteras testimoniales petere et obtinere debent a Guardiano et Discretis sui Collegii, qui nec facultatem nec testimoniales negare possunt. Attamen nemo e suo Collegio exire valeat absque litteris obedientialibus Commissarii Generalis respectivi, quas ipse nulli omnino concedat, nisi prius facultatem et testimoniales a Discretorio obtentas patefaciat, si agitur de illis, qui ad propriam redeunt Provinciam; si vero de illis, qui ad aliud Collegium transire volunt, nisi, praeter praedicta, acceptationem illius Discretorii prius ostendant. Et qui sine litteris testimonialibus, et sine obedientia Commissarii Generalis praedicti, ad propriam Provinciam venerit, vel ad aliud Collegium transierit, tamquam apostata puniatur.

LX. Cum autem aliquando accidere possit, ut nonnulli, vel taedio, vel levitate animi affecti, Superiorum adhortationibus spretis, licentiam discedendi e Collegio, decennio nondum expleto, pervicaciter petant; ne tota familia et Collegium ab ipsis turbetur, facultatem facimus Commissario Generali cum respectivo Discretorio, ut illos, tamquam expulsos e Collegio abire, et suis Provinciis se restituere sinant, Ministro Generali et Provinciali postea de omnibus monitis et informatis. Hi autem sic expulsi in nullo alio Collegio recipi poterunt.

LXI. Missionarii vero, qui in Collegiis ad habitum et professionem fuerunt admissi, absque praevia receptione sive incorporatione in aliqua Provincia, a respectivo Provinciali et Definitorio facta, quique proinde nullam Provinciam habent propriam quamvis, uti eiusdem Collegii filii, ibi semper permanere tenerentur, attamen ipsis facultatem, pro gratia, benigne concedimus, ut, post decem annos completos, in exercitio apostolici ministerii transactos, a die quo solemnem professionem emiserint, vel ad sacrum presbyteratus Ordinem promoti fuerint (uti dictum est n° XXV) computandos, ad aliud Collegium transire, vel alicui Americae Provinciae, si Americani sunt, vel Europae, si sunt Europaei, sese incorporare valeant, praevia tamen acceptatione Discretorii alterius Collegii, vel Ministri et Definitorum Provinciae, in scriptis obtinenda, et Discretorio sui Collegii, nec non Commissario Generali respectivo praesentanda, prout de caeteris Missionariis (n° LIX) dictum est, ut testimonium et litteras

obedientiales obtineant. In his autem serventur ea omnia, quae in Constitutionibus Generalibus Ordinis, pro transeuntibus de una ad aliam Provinciam, sancita sunt: quod sic pariter dicendum, si postea ad proprium Collegium redire petierint, et ab eiusdem Discretorio denuo (uti in n° LXIV) admissi fuerint. Quod si hic transitus ante decennium completum a Commissario Generali et Discretorio aliquando, propter gravia rationum momenta, iudicatus fuerit necessarius, ipse Commissarius Generalis cum Discretorio pro opportuna providentia, ad Ministrum Generalem, cui est facultas plena in toto Ordine, recurrat. Haec omnia Collectores serio admonemus, ut clare patefaciant iuvenibus, antequam eos accipiant. Etiam Magistri Novitiorum idipsum saepe saepius explicare curent Novitiis, non modo ante habitus susceptionem, verum etiam durantibus annis novitiatus et votorum simplicium.

LXII. Stricte praecipimus, ut Missionario e Collegio quandocumque discessuro, Collegium, quae ipsi necessaria sunt pro itinere conficiendo, subministrare teneatur. Si autem Missionarius ab uno ad alterum transierit Collegium, tunc expensae ab eo Collegio exsolvi debent, ad quod transit. Quum vero is ad propriam Provinciam redire, vel ad aliam, quoad filios Collegiorum (uti n° LXI), cui legitime aggregatus fuerit, transire voluerit, Collegium a quo ultimo discedit, expensas, pro itinere conficiendo, subministret, quae tamen expensae deinde dividendae sunt inter Collegia, quibus inservivit, pro rata temporis in singulis praedictis Collegii ab ipso transacti.

Hoc autem tempus pro iis, qui in Collegiis ad habitum et professionem admissi sunt, a die incorporationis (prout in n° XXV fuit provisum) est computandum.

LXIII. Ad tollendos autem abusus vagationis in itineribus, praecipimus ac stricte mandamus, ut in litteris obedientialibus a Commissario Generali expediendis, unicuique Missionario assignetur via, et indicetur tempus, quo iter, per illam viam, absolvi potest. De omnibus autem praedictus Commissarius Ministrum Generalem Ordinis semper certiorem reddat, nec non Provincialem, sive Guardianum Collegii respective, admoneat. Quod si quis Missionarius, tempore statuto, ad Provinciam, sive Collegium, in litteris obdientialibus ipsi determinatum, non pervenerit, et de sua mora coram Definitorio Provinciae, vel respective coram Discretorio Collegii, quibus omnia sua documenta exhibere debet, plene se iustificare non possit, privamus ac omnino privatum, nunc pro tunc declaramus omnibus privilegiis, quae ipse acquisierat; et insuper tamquam apostatam puniendum praecipimus. Et si quis ex praefatis Missionariis, iam e Collegio discessus, servitio alicuius paroeciae, sive cuiuscumque ecclesiae se dedicaverit, aut quomodocumque suum iter, sine gravi necessitate, retardaverit, sive a recto tramite, absque licentia Commissarii Generalis in scriptis obtinenda, et in litteris obedientialibus apponenda, recesserit, *ipso facto* a divinis remaneat suspensus, a qua suspensione solus Minister Generalis illum absolvere potest, excepto mortis articulo. Imo prae-

fato Ministro Generali omnimodam concedimus facultatem, ut, cum suo Generali Definitorio, Missionarios sic proprio marte vagantes ab Ordine expellat.

LXIV, Praeterea stricte praecipimus, ut nemini in posterum, qui quacumque de causa et quandocumque proprium Collegium dereliquerit, licentia redeundi ad ipsum concedatur, quin prius per vota secreta a Discretorio Collegii denuo admittatur, et saltem duas ex tribus suffragiorum partibus non retulerit. Nemo igitur ad Collegium redire praesumat autequam praedictam Discretorii admissionem obtinuerit; quod si antea redierit, suspensum eum declaramus (a qua suspensionem solus Minister Generalis possit eum absolvere) et in eo Collegio non amplius admitti posse iubemus.

LXV. Declaramus autem Missionarios, qui post decennium in suo Collegio expletum, et cum conditionibus in hac Constitutione expressis, ibi manserint, vel ad aliud Collegium Missionum transierint, lege decennii amplius minime teneri; teneri autem illos omnes, qui, post praefatum decennium, ad Provincias transierunt, et postea ad Collegium quodcumque redeunt: quod tamen non impedit, quominus, qui duo decennia in Collegiis absolverint, iisdem privilegiis fruantur, quae conceduntur iis, qui, ut suo loco dicetur, per viginti annos Missionibus inservierunt.

De Missionum Praefectis.

LXVI. Quodlibet Collegium suum habeat Praefectum Missionum Infidelium, in singulo sexennio eligendum, eodem prorsus modo, quo in quolibet triennio eliguntur Guardiani; eiusque erit Missiones inter Infideles promovere atque gubernare. Ipsum autem, durante sexennio sui muneris, nec in Discretum actualem, nec in Guardianum Collegii eligi posse declaramus.

LXVII. Praedictus Praefectus, sicuti et caeteri ad Infideles addicti, in locis fidelium Missiones praedicare minime possunt, nisi de consensu Guardiani proprii Collegii, ad quem tantum spectat Missionarios inter fideles, uti dictum est, destinare. Quod si eveniat, ut plura Collegia easdem Missiones in communi fundatas habeant, vel in posterum in communi fundaverint; tunc electionem Praefecti Missionum, earumque Procuratoris, alternatim una vice pro unoquoque ex Collegiis ipsis, ab antiquiore incipiendo, peragendam esse declaramus.

LXVIII. Si aliquod Collegium, ob speciales circumstantias, proprias inter Infideles nondum habere potuerit Missiones, tunc nec Praefectum, nec Missionum Procuratorem habebit; et Religiosi ibi morantes, qui Missiones Infidelium adire cupiunt, obtenta prius in scriptis promissione acceptationis Praefecti Missionum, et Discretorii alterius Collegii, Missiones inter Infideles habentis, ad Commissarium Generalem recurrant, qui Commissarius, si consensus

adsit ex parte Discretorii Collegii supplicantium, quod absque gravi causa sese opponere haud potest, et non aliter, illis licentiam dare poterit, ita tamen ut eam negare etiam possit, si hoc in Domino expedire iudicaverit. Eodem prorsus modo Praefectus Missionum, cum assensu Discretorii proprii Collegii, Commissario Generali preces porrigere potest ad aliquem Missionarium alterius Collegii, Missiones inter Infideles non habentis, obtinendum. Missionarii autem praefati, licet in Missionibus Praefecto omnino subesse debeant, et ei in omnibus et per omnia obedire, suo Collegio tamen incorporati semper remanent, eiusdemque alumni considerantur; et ideo, si Missiones relinquunt, ad illud redire tenentur; et cum ad propriam Provinciam se restituere, et, quoad filios Collegiorum, ad Provinciam, cui legitime aggregati fuerint, transire volunt, ipsum Collegium necessaria ad iter conficiendum eis subministrare debeat.

LXIX. Solius Praefecti Missionum erit, de assensu tamen maioris partis Discretorii sui Collegii, idoneos et necessarios Missionarios ad loca Infidelium destinare, mittere, aut secum ducere. Quod si agatur de Collegiis, quae easdem Missiones in communi fundatas habent, declaramus Praefectum pro tempore, ad quem electio Missionariorum pertinet, posse eos a quocumque ex iis Collegiis seligere, cum consensu tamen respectivi Discretorii. In dissensu autem Praefecti cum respectivo Discretorio, Commissarius Generalis, auditis partibus, iudicium ferat, resolvendo quod convenientius in Domino illi visum

fuerit, illiusque iudicio omnes omnino acquiescere volumus, ac stricte praecipimus. Omnia vero Collegiorum Discretoria meminerint, Missiones Infidelium esse primum Collegiorum scopum, et cuiuslibet Collegii gloriam principalem. Curent igitur illis opportune, et cum praeferentia, providere; sed etiam caveant, ne ad illas ullus unquam, quoad fieri possit, sine socio mittatur, et ne eos ire permittant, quos aut admodum iuvenes, aut in virtutibus novitios, aut utcumque non vere idoneos existimaverint.

LXX. Nemo vere recusare possit sese conferre ad domos Conversionum iam erectas, etiamsi solis Infidelibus constent, aut ad antiquas suorum respective Collegiorum *Doctrinas*, sive terra, sive mari, vel flumine, iter sit peragendum. Semper enim Missionarii ante oculos oportet, ut habeant finem, ad quem Collegia instituta fuerunt, qui nempe est Infidelium ad fidem conversio, per catechesim potissimum obtinenda. At si agatur de nova Christi fundanda vinea inter praedictos Infideles, cum res per se sit ardua, Missionariorum spontanea voluntas ad id requiratur; et ex iis, qui sese sponte offerunt, aptiores et ferventiores a Praefecto et Discretorio seligantur et mittantur. Missionariis autem e Collegio ad Conversiones Infidelium ituris, vel regressuris, Procurator Missionum omnia necessaria pro itinere conficiendo subumministrare teneat.

LXXI. Missionum Praefecti, utpote Praelati immediati omnium Missionariorum in Conversionibus Infidelium degentium, omnium superioritatem habe-

bunt in cunctis Conversionibus, ad suum respectivum Collegium quomodocumque spectantibus, et illas tenentur visitare, illarumque progressui invigilare; fratres Missionarios, seu conversores, de uno ad alterum populum sive Conversionem, quando illarum bonum aut utilitas sic postulet, transferre, ipsosque corrigere, et ad claustra etiam revocare, si obliti vocatione, qua vocati sunt, in sibi concredito ministerio male se gerant. Hoc tamen de consensu Discretorii Collegii fieri debet, nisi res ita urgeat, ut Praefecti per se hisce illico prospicere adigantur. Quod si ipsi, aliquo gravi aut utiliori negotio distenti, omnia praedicta per se exequi impediantur, tunc facultates suas Vice-Praefecto Missionum, si adsit, secus alteri ex Missionariis eiusdem Collegii, a Discretis, Praefecto proponente, eligendo, qui probitate vitae commendabilis valde sit, communicare poterunt. Attamen nec Guardianus, nec Discretorium, ullum Religiosum a Conversionibus ad Collegium revocare poterit, absque beneplacito et assensu Missionum Praefecti.

LXXII. Poterit praefatus Praefectus suos subditos a casibus in Ordine reservatis absolvere, et hanc facultatem ipsis communicare, eodem prorsus modo ut de Guardianis dictum est. Poterit etiam, Auctoritate Nostra Apostolica, suos respective Missionarios ab onere recitationis officii seu horarum canonicarum eximere, illudque in alias preces commutare; a praecepto ieiunii, et a carnium abstinentia, nec non a regula excalceatis pedibus, et pedestri itinere incedendi dispensare. Poterit insuper suos respectivos

Missionarios a praecepto non contrectandi, nec recipiendi et expendendi pecuniam, quando earumdem Missionum, ipsorumque Missionariorum ac neophytorum necessitas vel utilitas postulaverit, dispensare; ita tamen, ut etiam Guardiani Collegiorum, tum Fratres, qui in exercitio mendicationis applicantur, tum alios Missionarios Collegii, qui pro eorumdem Collegiorum, vel Missionum necessitate aut utilitate, sive pro quacumque alia iusta et rationabili causa sibi cognita iter habent, super praedictis omnibus dispensare possint; illisque insuper licentiam concedere, ut res non solum Collegio et Missionariis, verum etiam Missionibus, eorumque conversoribus et neophytis quomodocumque necessarias, providere valeant, iuxta instructiones ab eodem Guardiano, vel a Missionum Praefecto ipsis tradendas. Praedictas autem dispensationes, pro necessitatibus occurrentibus, concedimus etiam ipsis Praefectis et Guardianis.

LXXIII. Insuper singulis Missionum Praefectis, pro tempore existentibus, facultatem facimus administrandi sacrosanctum Confirmationis Sacramentum suis neophytis, utpote nullius dioeceseos, servando tamen instructionem S. C. de Prop. Fide diei XXI Martii MDCCLXXIV. Sed non poterunt confirmare caeteros Christianos, etsi in suo territorio degant, nisi prius ab Ordinario Loci facultatem pro ipsis, in scriptis, obtinuerint. Denique iisdem Praefectis specialiter tribuimus viginti septem facultates, alias a fel. rec. Benedicto XIV Praed. Nostro quatuor Collegiis de *Quéretaro*, *Zaccatécas*, *Quatemdla* et

de *Mexico* sub die XV Decembris MDCCLVII concessas; cum facultate etiam dispensandi suos neophytos etiam in secundo gradu solo, quoad futura matrimonia, et similiter super impedimento primi gradus affinitatis ex copula illicita provenientis, ad matrimonium contrahendum. Praedictis autem facultatibus quilibet Praefectus uti non possit, nisi in territorio Missionum, et cum suis neophytis, alias nonnisi de licentia Episcopi; potest tamen eas communicare in totum vel in parte suis Missionariis (unicuique pro territorio suae respectivae Missionis tantum) qui actualiter vacant exercitio Missionum inter Infideles, et non aliis.

LXXIV. Ne autem communicatio Missionariorum cum Praefecto intercludatur, vel nimis ardua reddatur, Praefectus in territorio Missionum resideat; quod si contingat aliquando, ut ad negotia pro Missionibus obeunda inde exire cogatur, quo citius fieri possit, ad Missiones reverti curet. Caeterum tam Praefectus, quam alii Missionarii Infidelium Conversionibus addicti, dum in Collegio morantur, omnem reverentiam ac obedientiam Guardiano, qui est omnium superior, praestare debent, nec non ad actus communes adsistere, dummodo a suo munere legitime non impediantur; Guardianus vero illis in omnibus necessitatibus charitative providere teneatur, sicuti caeteris Missionariis in Collegio semper degentibus.

LXXV. Missionum Praefecto, si bonum Missionum id postulet, liceat etiam extra finès Praefecturae exire, quin obligetur litteras obedientiales a

Commissario Generali petere, attamen cum ad urbem, sive oppidum, ubi Collegium (etiam proprium) existit, divertat (quod et a caeteris Missionariis observari volumus) nonnisi hora competenti, et servatis Collegii consuetudinibus exeat, nec non praevia benedictione a Guardiano petenda.

LXXVI. Ut autem Infideles, qui, Dei auxiliante gratia, per hos sui verbi ministros ad fidem convertuntur, in ipsa conserventur, eisque necessaria Sacramenta administrentur, ordinamus, ut Missionarii in Conversionibus, seu Populis Infidelium ad fidem conversorum, tamquam in locis nullius dioecesis, ad praedicta obeunda munera, sub immediata Praefecti Missionum directione et gubernio permaneant, usque dum praefatus Missionum Praefectus et Discretorium sui Collegii respectivi, dictos Populos sufficienter iam instructos et in fide iam firmos, locorum Ordinario, ad quem eorum regio, sive terra illa pertinet, vel in posterum pertinebit, resignandos esse in Domino iudicaverit, ut presbyteros saeculares, quibus curam earum animarum committat, destinet. Nulla autem resignatio fiat absque praevio consensu S. Cong. de Propaganda Fide; ideoque Praefectus Missionum praefatus et Discretorium sui respectivi collegii, postquam per secreta suffragia de huiusce resignationis faciendae opportunitate iudicium protulerint, actum authenticum, praevia intelligentia Commissarii Generalis, ad praedictam S. Congregationem de Prop. Fide transmittant, ab eaque consensum expectent.

LXXVII. Quod si, praedicta resignatione facta, Ordinarius sacerdotem saecularem in promptu non habeat, ita ut necesse sit Missionarios in cura praedictarum animarum adhuc ad tempus relinqui, tunc Praefectus Missionum, de consensu maioris partis Discretorii sui Collegii respectivi, poterit eos ibi retinere, donec Ordinarius praefatus provideat, quod quamprimum facere curabit, ne Missionarii a Conversionum ministerio diu distrahantur. Quoadusque tamen ab Ordinario non provideatur, volumus, ut praedicti Missionarii, et quoad facultates, et quoad correctionem, immediatae Praefecti iurisdictioni, uti antea, subsint; et idcirco quamdiu ibidem permanserint, nihilo omnino ex titulo *Curatorum*, vel *Doctrinarum*, liceat ipsis recipere, sed praecise exemendicatis, vel ultro oblatis eleemosynis vivere pergant.

LXXVIII. Si autem aliquando contigerit, quod, provisione ab Ordinario iam facta, sacerdos Conversionibus resignatis deputatus, aliqua ex causa defecerit, et Ordinarius quoadusque alium sacerdotem substituat, ne praedictae animae absque pastore interea relinquantur, necessitatem habuerit alicui ex Missionariis eas ad tempus committendi; tunc Guardianus, cum assensu maioris partis Discretorum, aliquem ex Missionariis in Collegio degentibus, quoad fieri possit nunquam sine socio, poterit ibi destinare; quem quidem, quoad facultates pro suo ministerio adimplendo necessarias, praedicto Ordinario, in reliquis vero ipsi Guardiano subiectum volumus. Verum ne spiritus Missionariorum ex nimis potracta in paroeciis applicatione dissipetur, et ab Infidelium

Conversionibus, ad quas potissimum Missionarii intendere debent, distrahatur, volumus, ut Guardianus et Discretorium saepe Missionarios praefatos ad claustra revocent, et alios idoneos substituant.

LXXIX. In oppidis ad fidem conversis, et Ordinario adiudicatis, si ita videatur Commissario Generali et Discretorio respectivi Collegii, de licentia Episcopi, sed praeviis assensu Ministri Generalis Ordinis, et facultate a S. Congr. de Propaganda Fide, ab ipso Commissario Generali, prius et ante omnia obtinendis, et non aliter, poterunt Hospitia fundari, dummodo in ipsis iuxta Regulam et Statuta Ordinis ex eleemosynis, et sub regulari disciplina Fratres vivere possint. Hospitia autem praedicta Guardiano Collegii, ad quem pertinet illa nova Conversio, et cuius sollicitudine obtenta fuerit; vel Collegii vicinioris, a Commissario Generali, de assensu tamen utriusque Discretorii, assignandi, erunt subiecta, quousque ex illis Custodia efformari possit; vel aliter in Capitulo Generali de illis provideatur; aut ex illis aliqua in Missionariorum Collegiis, sub his Statutis, et cum conditionibus alio loco praescriptis, erecta fuerint. Quidquid autem ad eorum regimen spectat, per Statuta Municipalia provideatur.

LXXX. Electio Praesidis huiusmodi Hospitiorum, et etiam Conversionum, si opus fuerit, fiat sicut in electione Vicarii Collegii dictum est. Et hi easdem habebunt facultates, quibus per Constitutiones Generales Ordinis utuntur Vicarii Conventuum in absentia Guardiani. In singulis Hospitiis, si opus fuerit, etiam Procurator eligatur, qui easdem

respective facultates, quas Procurator Collegiorum, habebit. Ad huiusmodi officia eligibiles non erunt, nec ad domos Conversionum, aut *Doctrinarum*, destinari poterunt, Discreti actuales, Magistri Novitiorum, et qui actu docent. Praefati vero Praesides et Procuratores removeri semper poterunt ad nutum Discretorii.

LXXXI. In omnibus Collegiis, Missionum Praefectum habentibus, si fieri possit, studium etiam idiomatam Indorum instituatur; et in quolibet Capitulo a Praefecto Missionum et Discretorio Collegii pertractentur coram Praeside ea omnia, quae ad necessitates et progressus Missionum Infidelium spectabunt; et quae resoluta fuerint, stricte ac fideliter tam a Discretorio quam a Praefecto observentur. Volumus insuper, ut Praefectus novas fundationes inter Infideles, absque assensu et approbatione maioris partis Discretorii sui Collegii respectivi, nunquam aggrediatur; et in omnibus rebus magni momenti in Missionibus occurrentibus, Discretorium consulat, eiusque decisionem sequatur, non secus ac Guardianus. Quum enim Discretorium, ut superius dictum est, ad graviora negotia tum Collegii, tum Missionum pertractanda, institutum fuerit, consiliarius utriusque, Guardiani nempe et Praefecti, esse debet; et idcirco ipsi summopere cordi habendum est non modo bonum Collegii, verum etiam augmentum et prosperitas Missionum. In rebus vero, quae moram non patiuntur, sit iudex Praefectus, meliori quo poterit modo, et deinceps Discretorio de actis rationem reddat.

LXXXII. Solius Missionum Procuratoris erit eleemosynas, pia opera, adsignationes, vel quaecumque alia ad Missiones, Missionarios Conversores, et Praefectos Missionum quomodocumque spectantia, recipere, asservare et administrare; et ex illis, cum assensu Praefecti, necessitatibus singulorum Missionariorum, eorumque Missionum ac neophytorum respective, nec non ipsorum Praefectorum ac caeterorum ad Missiones pertinentium, in omnibus providere. Ipse autem Procurator, quotiescumque fuerit requisitus, de omnibus praedictis teneatur reddere rationem Praefecto Missionum; imo singulos etiam Missionarios de rebus ad ipsorum respective Conversionem spectantibus, pro eorum norma, si requisitus fuerit, certiores facere debet. Praeterea quotannis coram Discretorio suae administrationis rationem reddat; et in omnibus Capitulis suos libros, a Praefecto et Discretorio denuo examinatos, Commissario Generali, seu Praesidi Capituli, exhibere debet, prout fit de libris ad administrationem Collegii pertinentibus. Et si ex computationibus appareret aliquam Missionem eleemosynas residuas habere, ultra quod eidem et Missionariis ibi degentibus necessarium omnino sit, concedimus ipsi Missionum Praefecto, de intelligentia tamen et assensu Discretorii, ut possit eas applicare alterius Missionis necessitatibus, vel servare pro novis fundationibus suo tempore inter Infideles faciendis, quin sive Praefectus, sive quivis Missionarius, de praedictis aliter disponere praesumat, sub poenis proprietariis impositis, et cum onere restitutionis.

LXXXIII. Si autem Praefectus Missionum, sexennio nondum expleto, defuerit, sive per mortem, sive per renuntiationem, sive per depositionem, sive per discessionem e Collegio, etc. Vice-Praefectus, si adsit, sin autem illico a Discretorio eligendus, gubernium Missionum, omnibus facultatibus Praefecto concessis, assumat, et prosequatur usque ad proximum Capitulum, in quo, ipso omnino cessante, novi Praefecti electio est facienda. Novus autem electus Praefectus a praedicto Capitulo suum sexennium inchoabit. In huiusmodi electione Vice-Praefectus praefatus, non obstante suo provisorio gubernio, vocem passivam tam pro Praefecto, quam pro Vice-Praefecto, si iste eligendus erit, semper habebit, si aliunde ea non careat. In Collegiis autem alternativam, uti dictum est, habentibus, si Praefectus praedictis de causis defuerit, tunc Vice-Praefectus, si adsit, secus illico a Discretorio eiusdem Collegii, ad quod ea vice pertinet Praefectura, eligendus, Missiones Infidelium gubernabit pro toto eo temporis spatio, quo Praefectus gubernare debuisset, cum omnibus facultatibus et privilegiis Praefecto sexennali concessis.

De Commissariis Generalibus.

LXXXIV. Commissariorum Generalium in America residentium novam institutionem, pro Collegiorum Missionum gubernio, per praesentes Litteras adprobamus atque confirmamus, illorumque nominationem ad Ministrum Generalem Ordinis cum

suo Generali Definitorio, singulis sexenniis faciendam, exclusive pertinere declaramus. Poterit tamen praefatus Minister Generalis cum suo Definitorio, quotiescumque res exigat, Commissarios Generales removere, et Visitatores Generales cum ommnibus facultatibus necessariis et opportunis nominare et delegare, qui tam Collegia, quam ipsos Commissarios Generales canonice visitent.

LXXXV. Commissarii Generales sigillum habeant cum effige Immaculatae Conceptionis, cum inscriptione in gyro « Commissaria Generalis FF. Ord. Min. S. Francisci » cum nomine Reipublicae, ubi suum quisque exercet Commissariatum: nunquam vero titulum *Reverendissimi*, nec attributiones proprias Ministri Generalis, nisi specialem delegationem habeant, sibi arrogare praesumant.

LXXXVI. Praedicti Commissarii Generales habeant unum Secretarium, et, si velint, etiam socium, sive Laicum sive Tertiarium, quos ex quocumque Collegio suae iurisdictionis assumere poterunt. Praedictus autem Secretarius, quamvis semper ut filius proprii Collegii habendus sit, et ad illud post functum officium teneatur reverti; attamen, durante munere tantum, Commissario Generali immediate subiicitur, et in omnibus Collegiis post Discretos actuales locum tenebit, nisi ad digniorem, aliis ex titulis, ius habeat. Si Secretarius in Guardianum, vel Praefectum Missionum, vel Discretum actualem proprii Collegii electus fuerit, et officium acceptaverit, a munere Secretarii ipso facto cessasse intelligatur, ea enim officia cum Secretariatu omnino

incompatibilia declaramus. Liberum autem erit Commissario Generali quocumque tempore Secretarium removere, aliumque in eius locum substinuere. Ex-Secretarii nullo privilegio gaudeant.

LXXXVII. Etsi praefati Commissarii Generales in omnibus Collegiis suae Commissariae primum locum obtineant, attamen in Discretorio locum non habent, et prohibentur se immiscere in administratione domestica Collegiorum, in admissione Novitiorum ad habitum et professionem, in admissione fratrum ad Collegium et in eorum dimissione; in functionibus Praefectorum, ac in Missionibus Infidelium, caeterisque huiusmodi, excepto casu extraordinario et gravi, aut occasione canonicae visitationis, nec non in appellationibus et recursibus.

LXXXVIII. Praedicatorum ac confessariorum tam Fratrum et Monialium, quam saecularium utriusque sexus, prima institutio, atque Clericorum ad Ordines recipiendos destinatio, ad praedictos Commissarios Generales spectabit. Ipsi vero neminem instituant, promoveant vel destinent, nisi habito prius consilio et assensu (in scriptis post exaratum examen, et non aliter, conferendo) maioris partis Discretorii Collegii, in quo examinandus degit. Ast praefato consensu interveniente, Commissarius Generalis suas litteras statim expedire tenebitur, ne Collegia, ob eius culpabilem moram, operariis necessariis privata remaneant, sed potius conserventur. Nemo autem in confessarium institui potest, quin viginti septem annos completos saltem habeat; nec ad Ordines destinari, nisi post tertium saltem Theologiae annum completum.

LXXXIX. Confessarii in suis respective Provinciis instituti, durante itinere, antequam scilicet ad proprium Collegium pervenerint, omnium Fratrum Ordinis confessiones excipere valeant. Ad proprium autem Collegium cum pervenerint, novae institutioni non subiiciantur, sed patentalibus litteris Discretorio Collegii exhibitis, ab eoque recognitis, Religiosorum confessiones sacramentales excipere, et a Guardiano Ordinario loci praesentari possint, ad iurisdictionem pro saecularibus accipiendam.

XC. Omnibus autem confessariis Collegiorum, a suis Superioribus, sive in Collegiis sive in Provinciis, legitime institutis, quousque ut filii alicuius Collegii habentur, et in America morantur, facultatem facimus confessiones excipiendi omnium Fratrum Ordinis, sive ad Collegia, sive ad Provincias spectantium, salvo tamen iure Ordinariorum, suarumque facultatum.

XCI. Omnibus Missionariis, quoadusque extra claustra ex obedientia morantur, sive apud Infideles, sive apud fideles, facultatem concedimus confessionem sacramentalem faciendi apud quoscumque confessarios Ordinis a proprio Superiore rite institutos; et etiam apud quemlibet confessarium saecularem, praesentibus etiam confessariis Ordinis, ab Ordinario loci approbatum, et impetrandi ab eisdem absolutionem sacramentalem etiam a casibus in Ordine reservatis, absque obligatione se dein Superiori suo praesentandi, atque iterum super casibus et censuris huiusmodi absolutionem ab ipso impetrandi.

XCII. Quamvis Guardianus et quatuor Discreti actuales per triennium, et Praefectus Missionum per

sexennium, in suo quisque officio respectivo durare debeant, iustis tamen ac gravibus intervenientibus causis, licitum erit Commissario Generali, cum assensu maioris partis Discretorii respectivi Collegii, illorum renuntiationem quandocumque admittere. Insuper si post accuratum examen constiterit, aliquem ipsorum proprio muneri non satisfacere, cum praedicto Discretorio, sine strepitu iudiciario, sicut fit in Ordine in Congregationibus intermediis, eum ab officio absolvere, suspendere aut etiam deponere potest.

XCIII. Commissarii Generales praefati canonicam visitationem omnium suorum Collegiorum, necnon Hospitiorum, in singulis trienniis, zelo, rectitudine et charitate per seipsos facere debent; ad ipsos etiam spectat Capitula convocare, eisque praesidere, et omnes electiones rite et canonice factas, confirmare. Si vero iusta de causa ipsi impediantur, quominus haec omnia per seipsos perficiant, poterunt alium Religiosum idoneum, qui zelo, prudentia, religiosa observantia, in rebusque agendis dexteritate maxime commendetur, ad id specialiter, toties quoties, cum facultatibus necessariis et opportunis, deputare. Eisdem Commissariis Generalibus, eorumque Delegatis, pro necessitatibus in itinere occurrentibus, facultatem facimus recipiendi, contrectandi et expendendi pecuniam, sive per se sive per socios, cautelis tamen adhibitis, ne scandala oriantur. In Collegiis vero, aut in Hospitiis morantes, hac facultate uti nequeant, sed suis necessitatibus per Procuratores eorumdem providere teneantur.

XCIV. In praedicta canonica visitatione ea omnia serventur, quae ab hac S. Sede Apostolica et a Constitutionibus Generalibus Ordinis sancita sunt. Inquiratur diligenter de observantia eorum omnium, quae in hac Nostra Constitutione praescribuntur, praecipue vero de paupertate, de spirituali collatione Fratrum, de omnium assistentia ad actus communes, de relatione et conversatione Missionariorum cum saecularibus, praesertim mulieribus, et de accessu ad ianuam Collegii; et si qui inventi fuerint in praedictis inobservantes, vel quomodocumque scandala praebentes, aut sine legitima et gravi causa, a Discretis approbanda, ab Infidelium Missionibus vel ab antiquis suorum respective Collegiorum *Doctrinis*, iuxta petitionem Praefecti et mandatum Discretorii se eximentes; aut quocumque alio modo pacem communitatis, eiusque strictam disciplinam perturbantes; vel negotia communitatis directe vel indirecte saecularibus revelantes, quicumque illi sint, corrigantur, ac iusta eorum qualitates, et delicti gravitatem severe puniantur; et si Praelati, sive Discreti fuerint, deponantur. Immo ut Collegia, quantum fieri potest, in suo fervore perseverent, si Missionarii inveniantur aliquo ex praedictis defectibus gravati qui etsi admoniti, non se emendaverint, Commissario Generali omnimodam concedimus facultatem, non solum tempore canonicae visitationis, sed etiam quocumque tempore de assensu maioris partis Discretorii respectivi Collegii, eos expellendi, et ad propriam Provinciam remittendi, Missionarii vero sic expulsi in nullum alium Missionariorium Collegium admitti possunt; et si

spatio quindecim dierum e Collegio non discesserint, eos in poenam suspensionis, ipso facto, incurrisse declaramus, a qua suspensione solus Minister Generalis illos absolvere potest.

XCV. Si vero delinquentes habitum in Collegio receperint, et religiosam professionem emiserint, quin antea alicui Provinciae aggregati fuerint, ad quam remitti possint, ibi prudenter et charitative corripiantur; quod si, correctione despecta, in sua pervicacia perstiterint, Commissarius Generalis et Discretorium Collegii illos incorrigibiles declarent, et acta ad Ministrum Generalem mittant, ut ipse cum suo Generali Definitorio ab Ordine eos expellat, ut a pestifera contagione non solum Evangelii Ministri, qui sal terrae, lux mundi ac civitas supra montem posita esse debent, sed etiam totus Ordo provide liberetur. Novitiorum Magistris committimus, ut haec omnia Novitiis clare exponant, antequam ipsi habitum suscipiant, et antequam solemnem emittant professionem.

XCVI. Delegatus autem a Commissario Generali ad canonicam visitationem faciendam et Capitulum celebrandum, non potest renuntiationes acceptare, Guardianos, Discretos, aut Missionum Praefectos deponere, nec aliquem expellere, sed tantum opportunas correctiones facere, Religiosos delinquentes punire, Superiores praedictos, cum assensu maioris partis Discretorum, suspendere. Si autem res ita sint graves, ut efficacius exquirant remedium, moneat Commissarium Generalem.

XCVII. Commissarius Generalis vocem activam in omnibus actibus capitularibus habebit, nec non

et decisivam in iis, quae per ballottationem fiunt; et utramque, si ipsi placuerit, communicare poterit suo Delegato. Qui Delegatus, si ex eodem Collegio, ad cuius visitationem deputatur, assumptus fuerit, vocem passivam, si habet, vi huius delegationis eum non amittere declaramus. Neuter tamen ad vocem activam aut passivam potest quemquam admittere, qui eas de iure non habeat, nec absentium suffragia recipere valeat. Nihilominus si forte aliquando contingat, ut iudicio Discretorii sex numero eligendi habiles inter eos, qui quadriennium absolverunt, non inveniantur, in hoc casu tantum, de consilio et consensu maioris partis ipsius Discretorii, Commissarius Generalis, seu Praeses Capituli, poterit cum iuniore aliquo, qui saltem triennium incorporationis absolverit, dispensare, ad hoc ut elegibilis evadat.

XCVIII. Poterit Commissarius Generalis, gravibus intervenientibus causis, visitationem intermediam in aliquo Collegio facere; nec non, accedente maioris partis Discretorii Collegii respectivi consensu, per sex menses celebrationem Capituli anticipare, vel etiam retardare. Quando vero Capitulum, iustis de causis a praefato Commissario Generali et Discretorio approbatis, anticipatur, nihil omnino obstare volumus, quominus Guardianus et Missionum Praefectus privilegiis debitis gaudeant.

XCIX. Commissarius Generalis, cum assensu maioris partis Discretorii tam Collegii *a quo*, quam Collegii *ad quod*, et non aliter, mutare valeat quoscumque Missionarios (praeter eos, qui Collegio ad

habitum et professionem fuerunt admissi, de quibus provisum fuit in n. LXI) iustis ac gravibus de causis, a Discretorio examinatis et approbatis, translationem ante emensum decennium petentes. Rite autem ac legitime ex uno ad alterum Missionum Collegium sic transeuntes, novum Collegium adire teneantur intra tempus in litteris obedientialibus praescribendum, sub poena privationis privilegii, quod, pro gratia, caeteris concedimus, nempe ut, quoad decennium in Missionibus explendum, tamquam si e suo primo Collegio non discessissent, considerentur. In novo autem Collegio vocem activam non habebunt, nisi post annum completum a die, quo ad Collegium pervenerint, computandum; item passivam, si quadriennium in alio Collegio expleverint; secus, post annum, expectent pro voce passiva usque ad quadrienii complementum.

C. Cum plurimum intersit, ut a Collegiis, in quibus religiosi viri muneribus apostolicis rite sancteque obeundis incumbunt, et tirones ad praefata munia instituuntur, quantum fieri potest, ii absint, qui per devia prolapsi, condignas poenas luere debent, declaramus nulli prorsus licere in aliquo ex praefatis Collegiis, tamquam in loco correctionis et poenitentiae, Religiosos delinquentes, et poenae quomodocumque obnoxios collocare.

CI. Commissarius Generalis cum Discretorio cuiuslibet Collegii, id quod ad maius bonum ipsius Collegii, et optimum missionariorum regimen conducat, hisce in Statutis non praescriptum, per Constitutiones Municipales, tempore canonicae visi-

tationis et Capituli immediate sequentis, decernat atque stabiliat, illasque Ministro Generali Ordinis, atque S. Congregationi de Propaganda Fide, pro approbatione, mittat. Et si pro levamine aliquorum Fratrum particularium, praesertim seniorum, a choro et aliis assistentis tam intra, quam extra Collegia perficiendis, aliquid statuere aliquando opportunum et necessarium fuerit, id etiam Commissarius Generalis, non eius Delegatus, cum praedicto Discretorio in casibus particularibus, quocumque tempore occurrentibus, providere possit, illaesam tamen semper relinquendo communitatis strictissimam in omnibus rigiditatem et observantiam.

CII. Ad solos Commissarios Generales respective pertinebit, de assensu tamen patrum provectiorum suae Commissariae, novas fundationes, sive erectiones Collegiorum Missionum promovere, quae plura in unaquaque dioecesi et Provincia regulari esse possunt. Nunquam tamen ad praefatas erectiones, sive fundationes faciendas, directe vel indirecte, procedi potest, quin, prius et ante omnia, Discretoria Collegiorum in Commissaria existentium audiantur, et a Ministro Generali Ordinis assensus obtineatur, et cum ipso assensu, et cum Ordinarii Loci licentia, in scriptis obtentis, et S. Congregationis de Propaganda Fide exhibitis, ab ipsa facultas ad id obtineatur.

CIII. Ne autem Commissarius Generalis proprio ingenio et viribus nimis confisus, utatur sua auctoritate in ruinam potius, quam in aedificationem, in omnibus negotiis arduis et difficilioribus patres provectiores cuiuscumque Collegii propriae iurisdictionis,

ab ipso eligendos, et tamquam consiliarios declarandos (unum saltem ex quolibet Collegio) praesertim vero ex-Commissarios Generales, qui semper audiendi sunt, ac etiam Discretorium illius Collegii, quod in arduis iudicium expostulat, tenetur consultare; ipsi vero consultationibus Commissarii Generalis ex conscientia respondere, et sub sigillo stricti secreti omnia servare debere sciant. Ut autem praefatorum Commissariorum verbum et auctoritas sint efficacia, curent eis exemplo robur addere, primi sese ostendendo, non tantum in praecedentia, quantum in Regulae observantia, et in virtutum exercitio, praecipue vero humilitatis et sanctae paupertatis, in victu, vestitu, habitatione, caeterisque praestantes; brevi, aedificent magis exemplo, quam verbis.

CIV. Singulis trienniis, post canonicam visitationem et celebrationem Capituli cuiusque Collegii, Commissarius Generali rationem reddat Ministro Generali Ordinis de praecipuis illius Collegii negotiis, et praesertim referat de statu et progressu Missionum inter Infideles, illarumque prospectum generalem, a Praefecto accurate conficiendum, in suo originali, transmittat tum ad S. Congregationem de Propaganda Fide, tum ad eumdem Ministrum Generalem.

CV. Commissarii Generales, non obstante quacumque vacatione Ministri Generalis Ordinis, a quo fuerunt electi, sive ea eveniat per mortem, sive per officium expletum, sive ob quamlibet aliam causam, per sexennium in officio perdurabunt. At si praefato tempore expleto Commissariatui nondum

a Ministro Generali fuerit provisum, tunc in gubernio prosequatur usque dum successor eligatur, et sui officii possessionem accipiat; quae electio ultra sex menses, post sexennium completum, haud protrahi poterit. Ipse autem Commissarius Generalis non erit eligibilis, nisi post aliud sexennium.

CVI. Iis, qui saltem per triennium completum Commissarii Generalis munere laudabiliter functi fuerint, ex-Ministris Provincialibus aequiparantur, eademque iura et privilegia, tamquam si gubernassent, in Provinciis tantum, et iuxta earum consuetudines, fruenda, conceduntur, et praecedentiam inter ipsos, a die qua dictum officium compleverunt, computandam, habebunt. Hi autem Commissarii, si per viginti annos Missionarii fuerunt, in dictis Provinciis tamquam ex-Definitores Generales habeantur, sed post ipsos in praecedentia.

CVII. Si durante sexennio Commissarius Generalis decesserit, in eius loco subrogatus declaratur ex-Commissarius Generalis illius Commissariae, in officio antiquior. Quod si nullus ex-Commissarius Generalis supersit, subrogetur Guardianus illius Collegii, in quo Commissarius decessit, quin tamen privilegiis ex-Guardianis post triennium sui gubernii concessis praeiudicium inferatur. Loco autem ipsius Guardiani, quoadusque novus Commissarius eligatur, vel usque ad proximum Capitulum, si interim triennium expiret, communitatem regat Vicarius, tamquam *Praeses in capite*, cum omnibus facultatibus Guardiano concessis. Commissarius autem loco defuncti subrogatus, munus assumat, omnes scripturas

ad officium difuncti spectantes, successori dein tradendas, diligenter colligat, et sigillo utatur, cum omnibus facultatibus Commissario concessis, verum nullum actum contra disposita a Commissario Generali defuncto exercere possit. Praeterea, sub poena nullitatis actuum sui officii, et suspensionis ab actibus legitimis ipso facto incurrenda, teneatur immediate Ministrum Generalem Ordinis de vacatione monere, novamque provisionem ab ipso petere. Insuper per litteras omnibus Collegiis Commissarii obitum, suamque subrogationem nuntiet. In praedicto autem officio durabit usque dum a Ministro Generali novus Commissarius Generalis eligatur, qui a die suae electionis sexennium inchoabit. Quod si, Commissario Generali electo, et officium adepto, triennium Guardiani subrogati non fuerit expletum, ipse denuo gubernium communitatis assumat, usque ad Capitulum. Declaramus autem, quod si Commissarius Generalis obierit extra Collegia, sive in domo alicuius saecularis, ut evenire poterit in itineribus conficiendis, sive in aliquo Conventu Provinciae, tunc Guardianus Collegii antiquioris illius Commissariae gubernium Collegiorum, ut supra, assumat.

CVIII. Quod si defunctus a Ministro Generali Ordinis, eius Commissarius etiam pro Provinciis inibi existentibus fuisset constitutus, eo ubicumque defuncto, usque dum aliter a praedicto Ministro Generali provideatur, quisque Minister Provincialis, vel qui eius vices gerit, pro sua respectiva Provincia subrogatus declaratur.

De Relatione Collegiorum inter se et cum Provinciis.

CIX. Omnia Collegia Missionum in America erecta, vel erigenda, quoad regimen, nullius Provinciae sint, sed in omnibus et per omnia Ministro Generali Ordinis immediate subsint, qui illa per praedictos Commissarios Generales ibi residentes gubernabit. Quoad suffragia autem et spiritualem communicationem tam pro vivis, quam pro defunctis, Collegia eiusdem Commissariae non solum habeant commercium fraternum inter se, sed etiam, si placet, cum aliis Collegiis alterius Commissariae, et cum Provinciis, intra quarum limites existunt; ita ut Collegiorum Fratres officia et Missas, iuxta Statuta Generalia, vel iuxta conventionem inter se faciendam, pro quolibet Fratre aliorum Collegiorum, vel eiusdem Provinciae filio decedente, celebrent; et vicissim a singulis Conventibus et Fratribus Provinciae eadem celebrentur pro quolibet Fratre Collegiorum ubilibet moriente; ad cuius effectum Provincialis omnium suae Provinciae defunctorum notitiam ad Guardianos Collegiorum, et Guardiani defunctorum sui respectivi Collegii ad Provincialem, aliorumque Collegiorum Guardianos transmittant.

CX. Ne autem inter Missionarios et praefatarum Provinciarum Fratres ac Superiores aliqua unquam oriatur contentio, vel oppositio, et ne quos eadem Religio mater spiritualiter genuit et educavit, disparitas muneris separet, sed fraternalis amicitia ac

mutua hospitalitas strictius coniungat; praedictorum Collegiorum Superioribus ac subditis stricte praecipimus, ut quando quicumque Fratres illius Provinciae, in qua sita sunt Collegia, hospites legitime ad illa accedent, eos charitative recipiant, eisdemque iuxta gradum benigne inserviant. Patri autem Provinciali qui praecedentiam habebit immediate post Guardianum, omni cura et reverentia inservire teneantur.

CXI. Collegiorum autem actuales Guardiani et Praefecti Missionum praecedentiam in dictarum Provinciarum Conventibus habebunt immediate ante Definitores actuales dictae Provinciae. Alii autem Collegii Patres iuxta gradum et privilegia, quibus per hanc Constitutionem in Provinciis gaudent, praecedentiam habebunt; et qui nullam adhuc habent, Ordinis Statuta Generalia servabunt. Omnes vero Missionarii, tam subditi quam praelati, ubi Collegia non inveniuntur, non ad saecularium domos, sed ad Conventum Ordinis divertere teneantur; et ubi Conventus Ordinis desit, ad Conventum alterius Ordinis, sive Instituti, si possibile fuerit, humiliter accedant. Dum autem in aliquo ex praedictis Conventibus morantur, Superiori locali, ut omnes hospites, obedire debent. Superiores vero eos recipere, et charitative tractare indispensabiliter teneantur.

CXII. Si quis ex Missionariis, dum in alio Collegio, vel Conventu Provinciae moratur, in infirmitatem ceciderit, praedicti Collegii, sive Conventus Superior caeterique Religiosi illum usque ad perfectam valetudinem, ex eleemosynis illius Collegii seu Conventus curare, et ei iuxta Regulam inservire,

omnino sint adstricti. Et si exercitio sui apostolici ministerii extra proprium Collegium ex obedientia intentus, aegrotaverit, tunc ad propius Collegium, sive Conventum Provinciae, illico, ad praedictum finem, transferatur. Id ipsum agatur in Collegiis erga omnes Provinciae Fratres.

CXIII. Si contigerit aliquem ex Missionariis in Visitatorem, vel etiam in Ministrum Provincialem alicuius Provinciae eligi, huiusmodi electionem ratam haberi, et executioni mandari posse decernimus. Attamen si praefatus Missionarius officium recuset, ad illum acceptandum nullimode, nisi a solo Ministro Generali, obligari posse volumus. Electus autem, expleto munere, ad proprium Collegium revertatur, quin aliquid tamen secum ferat, quod Statutis Collegii opponitur.

CXIV. Et si a dicta Provincia, vel ab aliquo Conventu, aut ab aliquibus Fratribus, subditis vel superioribus, ante vel post finem sui officii, sub quolibet praetextu, pro se, vel pro suo Collegio, vel pro aliis, munera acceptare ausus fuerit, ipso facto actibus legitimis per triennium remaneat privatus; eidem poenae indispensabiliter subiaceat, si, peracto officio, intra quatuor menses ad suum Collegium non revertatur. Nemo vero ex praefatis Missionariis in Custodem, Definitorem vel Guardianum, aliaque, officia in Provinciis, eligi unquam potest.

CXV. Fratres ad Terram-Sanctam addicti, et eleemosynas pro illius necessitatibus petentes, in omnibus Collegiis charitative recipiantur. Praedicti

autem Fratres, ne pax Collegiorum ullo modo perturbetur, prohibentur horis inopportunis e Collegio exire, et eleemosynas in aditu Collegii, sive Ecclesiae petere. Praeterea eisdem stricte mandamus, ut dum in aliquo Collegio commorantur, praesentibus Statutis, et legibus municipalibus illius Collegii, in omnibus et per omnia sese conforment; ac insuper habitum ab eo, quo Missionarii utuntur, distinctum, vel saltem aliquo signo externo, et omnibus visibili insignitum, semper induant. Nulli autem Discretorio licebit unquam praedictos Fratres ad Terram-Sanctam spectantes, absque praevio et expresso assensu Ministri Generalis Ordinis, Collegio incorporare; et si cum praefato assensu aliquis eorum in Collegiis aliquando exceptus fuerit, lege decennii illum teneri declaramus.

CXVI. Sic pariter Commissariis Terrae-Sanctae nunquam licebit de Collegiorum Missionariis disponere, vel eis sub quovis titulo aut praetextu officium aliquod committere. Volumus insuper, ut Commissariae, sive vice-Commissariae Terrae-Sanctae, in Collegiis Missionum, quae Missiones sive Conversiones inter Infideles habent, non instituantur. Religiosi autem, qui post completum decennium e Collegio dimissi sunt, praevio assensu Ministri Generalis Ordinis, cui patet quomodo quisque Missionarius se gessit in Collegiis, et non aliter, in servitio Terrae-Sanctae, si ipsi velint, possunt assumi; sed nunquam ipsos destinari posse volumus ad eleemosynas colligendas in eodem loco, ubi Missionarii fuerunt.

De Missionariorum Privilegiis.

CXVII. Missionariis sequentia conceduntur privilegia, quibus tamen nunquam in Collegiis, sed tantum in Provinciis, et iuxta earum consuetudines, frui permittuntur. Qui nempe in praefatis Collegiis per decem annos completos degerint, in sua Provincia matre, sive (quoad filios Collegiorum) in Provincia, cui legitime, et salvis eiusdem Provinciae iuribus, aggregati fuerint, praeter titulum praedicatoris, sive concionatoris generalis, iisdem gaudebunt privilegiis et exemptionibus, perinde ac si in praefatis Provinciis Definitores fuissent, et praecedentiam, a die qua decennium compleverint computandam, inter ipsos habebunt. Qui autem Guardiani per triennium, et Missionum Praefecti per sexennium, et Missionariorum Collectoris in Europa munere laudabiliter functi fuerint, expleto decennio, in praedictis Provinciis, Patrum Provinciae exemptionibus et privilegiis gaudebunt, et praecedentiam, a die ut supra computandam, immediate post Lectores simpliciter Iubilatos, aut Emeritos, habebunt. Missionarii vero, qui per viginti annos completos in praefatis Collegiis manserint, licet nullo functi sint officio vel munere, Patrum Provinciae tamen exemptionibus et privilegiis in dictis Provinciis gaudebunt, et praecedentiam,a die qua vigesimum annum compleverunt, computandam, immediate post Lectores Iubilatos de numero, vel inter Emeritos habebunt. Qui autem muneribus Guardiani per triennium, vel Missionum Praefecti per sexennium, vel Missionariorum Colle-

ctoris in Europa perfuncti fuerint; et qui per quindecim annos munus magisterii in aliqua utili scientia seu facultate exercuerint, post viginti annos in Collegiis transactos, omnibus et singulis exemptionibus et privilegiis, tam de iure, quam de usu et consuetudine, ex-Ministris Provincialibus competentibus, uti, frui et gaudere in memoratis Provinciis licite ac libere poterunt, et praecedentiam, a die qua vigesimum annum compleverunt, tamquam si gubernassent computandam, inter ipsos habebunt.

CXVIII. Ne autem praedictis privilegiis etiam indigni participent, declaramus tempus, quo quis, posthabita Superioribus Collegiorum obedientia, sive proprio marte, sive praetextu cuiuscumque facultatis obtentae, sive quocumque alio titulo, Collegiis et Missionibus extraneo, extra Collegia, licet ministeriis sacerdotalibus addictus, moratur, nullimode ad assequenda privilegia esse computandum. Quapropter praecipimus, ut in litteris testimonialibus, cuilibet Missionario e Collegio abeunti consignandis, a Discretorio explicite declaretur, quot annos et menses in illo Collegio transegerit, illique inservierit. Nemo tamen praedictis privilegiis uti permitttitur, nisi post declarationem Ministri Generalis Ordinis, cui Commissarius Generalis ampliores informationes de singulis Missionariis redeuntibus, per litteras privatas, exhibere teneatur.

De Suffragiis.

CXIX. Si Religiosus, dum de Provincia ad Collegium, vel de Collegio ad Provinciam, legitime

transit, in itinere obierit, ipsius anima modo sequenti erit suffraganda. Pro his, qui ex Europa ad Collegia transeunt, si obierint priusquam navim ascenderint, suffragia facienda erunt a Provincia, a qua discedunt; pro his vero qui obierint, navi iam ascensa, eadem suffragia etiam, a Collegio cui nomen dederunt, erunt explenda. Qui vero post completum decennium ad propriam Provinciam redeunt, suffragari debent etiam a Collegio cui inservierunt, si obierint, priusquam navim, Europam versus, ascenderint; et a sola Provincia, si obierint postea. Qui vero transeunt ad Collegia ex Provinciis Americae, suffragari debent etiam a Collegio, si obierint Conventu iam relicto, et a sola Provincia, si antea, etiamsi Collegio nomen iam dederint; sic e contrario, quando ad propriam redeunt, si obierint Collegio iam relicto, a sola Provincia, si vero antea, etiamsi licentiam discedendi, et litteras obedientiales obtinuerint, a Collegio, etiam suffragari debent. Et sic dicendum de illis, qui ex uno ad alterum transeunt Collegium; ac respective etiam de iis, qui in Collegiis ad habitum et professionem admissi sunt, secundum locum ab ipsis electum. Quoad suffragia pro defunctis, a Clericis et a Laicis persolvenda, in quolibet Collegio servetur propria consuetudo.

CXX. Qui vero saltem per viginti annos eidem Collegio inservierint, etiamsi postea inde discesserint, habita de eorum obitu notitia, officio vulgo *Vigilia* cum Missa solemni, et una saltem Missa a singulis sacerdotibus Collegii celebranda, suffragentur.

De appellationibus et recursibus.

CXXI. In appellationibus et recursibus praecipimus, ut sequens servetur ordo. A Praefecto Missionum (si Missionarii tunc Infidelium Conversionibus inserviant) vel a Guardiano (si sub eius immediata iurisdictione sint) ad Commissarium Generalem respectivum; ab isto ad Ministrum Generalem Ordinis; et a Ministro Generali ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide (ad quam tamen, ob iuxta exprimenda motiva, recursus fieri potest etiam omisso medio) adeo ut, si quis statutum ordinem violaverit, eius appellatio ipso iure pro nulla et irrita habeatur. Appellatio vero non producit effectum suspensivum, nisi in casibus a lege praescriptis.

CXXII. Si quod dubium super aliqua clausula in istis Nostris Litteris contenta aliquando oriatur, solus Commissarius Generalis, tempore canonicae visitationis et non alio, de consilio et assensu maioris partis Discretorii Collegii respectivi, nec aliter, illud valeat resolvere, donec haec Sancta Apostolica Sedes, aut Congregatio de Propaganda Fide, consulatur. Numquam vero in aliquo, absque Sedis Apostolicae auctoritate, dispensare poterit. Declaramus autem in iis omnibus, quae in hac Nostra Constitutione non continentur, et illis nullatenus opponuntur, Constitutionibus Generalibus Ordinis standum omnino esse.

CXXIII. Si Collegia Missionum tam erecta, quam in posterum erigenda, aliquando relaxari contigerit,

et a perfectione ac laudabili fine suae institutionis notabiliter defecerint, vel non omnia hio contenta observaverint, Ministro Generali Ordinis omnimodam concedimus facultatem prohibendi tum novitiatum, tum transitum Fratrum ad ea Collegia, ac de illis Collegiis pro suo lubitu disponendi.

De Patrono Collegiorum.

CXXIV. Demum Archangelum Michäelem, militiae coelestis Principem, in Patronum praecipuum praedictorum Collegiorum et Missionum a S. P. Pio VI Praedecessore Nostro alias designatum confirmamus, indulgendo ut festum eiusdem sancti Michäelis sub ritu duplici primae classis cum octava, tamquam Patroni principalis, die XXIX Septembris in omnibus Collegiis et Missionibus praedictis, deinceps et perpetuis futuris temporibus, libere ac licite possit et valeat celebrari, sicut a praedicto Praedecessore Nostro Pio PP. VI fuit etiam concessum.

CXXV. Ut autem haec Nostra Constitutio executioni omnino demandetur, stricte praecipimus, etiam in virtute sanctae obedientiae, ut eadem in omnibus Collegiis ac Hospitiis bis saltem in anno, mense scilicet Ianuario et Iulio, in publica mensa legatur, sub poena privationis officii, vocisque activae et passivae, ipso facto incurrenda a Superiore locali, qui id neglexerit.

Decernentes praesentes Nostras Litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque

plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, atque irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non Ordinis praedicti, et Collegiorum huiusmodi, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque; Indultis et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis: quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate costitutae munitis,

eadem prorsus fides ubique locorum, tam in iudicio, quam extra illud, habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XII Iunii MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri anno trigesimoprimo.

Loco ✠ Sigilli

F. Card. ASQUINIUS

Testor ego infrascriptus S. Congregationis de Propaganda Fide Secretarius suprarelatas Litteras Apostolicas incipientes Apostolica Sedes, *a SSmo D. N. Pio Papa IX pro Collegiis Missionum FF. Ord. Min. S. Francisci in America existentibus, die XII Iunii an. MDCCCLXXVII in forma Brevis editas, cum authographo (quod in archivio huius S. Congregationis asservatur) contulisse, easque in omnibus cum eodem plene concordes reperisse. Praesens itaque testimonium propria manu obsignatum, meoque sigillo munitum, dedi hac die XIX Iunii eiusdem anni MDCCCLXXVII.*

Loco ✠ Sigilli

I. B. Agnozzi *Secretarius.*

ALLOCVTIO

HABITA DIE XXII IUNII MDCCCLXXVII
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS.

VENERABILES FRATRES

Gratissimum est Nobis hodie conspectu frui frequentiaque Vestra ut iustissimum, quod Nobis maxime cordi est, officium erga Venerabiles Fratres Ecclesiarum Catholici Orbis Antistites, et erga Christifideles universos impleamus, ac intimos sensus ad eos expromamus, quos corde continere non possumus. Dedit enim Nobis nuper divinae Clementiae amplitudo praeter tot alia insignia bonitatis suae argumenta, ut quinquagesimum natalem diem Episcopalis Nostrae consecrationis videremus. Atque hoc munus aliis etiam muneribus cumulavit, ut nempe tam effusam hac occasione er-

ga Nos et Sanctam hanc Sedem dilectionem omnium ordinum, tum Urbis Nostrae, tum aliorum populorum et nationum longissimo etiam terrae marisque tractu a Nobis dissitarum, tam mira obsequii, pietatis, et liberalitatis eorum experiremur officia, quae vere magnum spectaculum fuerunt mundo, et Angelis et hominibus. Agnoscebamus Nos quidem, et publica cum commendatione, ut nostis, declarare non omisimus in Allocutione ad Vos habita die 12 elapsi Martii, Catholicum populum universum Nobis et huic Apostolicae Cathedrae esse devinctissimum; sed hoc ipsum Fideles ita splendidis nuper indiciis, omnibusque modis palam publiceque ostendere et confirmare voluerunt, ut quae ad eorum laudem pertinebant in magnam admirationem prorsus converterint, et gloriam Deo tribuentes, Nos iucundissima consolatione perfuderint. In omni enim paene mundi regione ille dies divinae erga Nos benignitatis et miserationis a populo Dei publicis laetitiae et religionis significationibus celebratus est, undique ad Nos litterae allatae sunt plenae filialis affectus, plenae doloris ob iniquum bellum cui obnoxii sumus, quasi tum primum post longa intervalla filiorum vox compressa erupisset: ipsi etiam catholicarum nationum rectores, aliique principes viri et feminae non solum amplissima nobilitate, sed regali etiam sanguine spectabiles, suae Nobis devinctae voluntatis officia exhibuerunt, luculenter ostendentes suum religiosum studium ab aliorum pietate non vinci. Frequentia autem ac multitudo Fidelium ex omni lingua populo et natione, ex omni ordine ae-

tate et sexu, qui, praeeuntibus Pastoribus suis, peregrinatione suscepta ex remotissimis etiam regionibus ad Nos venerunt, fide et amore eorum animos inter tot cuiusque generis incommoda sustentante, comperta est Vobis, Venerabiles Fratres, qui tantam vim dilectionis admirantes de ea, in Vestrae gratulationis officio apud Nos amanter implendo, glorificastis Deum, et super ipsos divinarum gratiarum largitatem votis Vestris implorastis. Vos enim vidistis confertissima agmina ad has aedes Nostras ita in dies singulos confluentia, ut satis ostenderent quam cuperent diuturnum desiderium Patris sui conspiciendi et alloquendi explere, vidistis amantissimos filios voces Nostras cupidissime haurire, et suis protestationibus ac obsequii significationibus, quas lacrimae interdum interrumpebant, in persona humilitatis Nostrae Vicariam Christi potestatem venerari, atque ipsum colere Apostolorum Principem, cuius dignitas in indigno licet herede non deficit. Hanc autem venerationem illustriorem ac splendidiorem quoque Catholicus Populus facere voluit, missis et allatis ad Nos ex omni parte uberibus largitionum subsidiis, missis et allatis muneribus, multitudine, varietate, pretio artificio admirabilibus, quae dum Nobis facultatem praebent subveniendi huius Apostolicae Sedis, et Ecclesiae suis bonis spoliatae necessitatibus, christianae etiam caritatis vim et splendorem produnt, quae non modo omnia sustinet, sed etiam calamitatum et paupertatis impedimenta nesciens, talis est ut nunquam excidat, nunquam exhauriatur.

At quis, Venerabiles Fratres, dies tribulationum nostrarum in exercitationem et splendorem tantarum virtutum convertit, quis tantam fidem ac pietatem extulit ac fovit, quis infirmitati Nostrae illud solatium concessit, ut tam illustrium exemplorum Populi Christiani spectatores et testes essemus? Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ubi maior est servorum suorum tenuitas et infirmitas, ibi magis suam gloriam manifestare consuevit, in cuius manu sunt corda hominum, in cuius ditione cuncta sunt posita, Ipse fecit Nobiscum misericordiam suam, Ipse fecit cum tentatione proventum ut possemus sustinere, Ipse gloriam suam in Ecclesia revelavit ostendens mundo, eam quo magis impugnatur vires suas intentius exercere, quo magis deprimitur, altius attolli. Facere itaque non possumus quin in conspectu Vestro et coram universo orbe ex intimo corde gratiam et gloriam tribuamus Deo Clementissimo, Ipsi benedicentes et confidentes quoniam *benignus est, et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se*, ac Eum precantes ut sacrificium laudis et benedictionis nostrae licet impar operibus misericordiae suae, in abundantia tamen suae dignationis bonus ac propitius excipiat.

Hoc autem officii Nostri debito erga Divinam Bonitatem perfuncti, aequum est nunc ut ad Vos, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, ex catholico orbe universo, sermonem Nostrum convertamus. Vellemus quidem, uti apud eos ex Vobis egimus, qui ad Nos accesserunt, ita etiam unicuique Vestrum

a quibus amoris testimonia accepimus, gratissimi animi Nostri sensus declarare; sed cum id operosius et maius esse videamus, quam ut litterarum ministerio praestari possit, grave Vobis non sit, ut quemadmodum unum fuit omnium Vestrum cor, anima una in obsequiis Nobis deferendis, ita etiam una sit oratio, qua dum universos publice alloquimur, erga singulos privatim intendimus grati animi Nostri officio perfungi. Vobis itaque, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, corona mea sicut Apostolus ait, et gaudium meum, singulares gratias et habemus et agimus, eo affectu et sensu qui melius intelligitur ab animis fidelibus, quam verbis exprimi et aequari possit. Vos fecistis ut luceret lux Vestra coram hominibus, Vos glorificastis Deum et Ecclesiam, Vos de immaculata Christi Sponsa ac Christi in terris Vicario optime meruistis, ac pia liberalitate thesaurum Vobis fecistis non deficientem in caelo, ubi eum nec aerugo corrumpit, nec tinea demolitur.

Quoad Nos autem dilectionis Vestrae memoria ex animo Nostro non excidet, immo Ecclesiae fastis commendata ad exemplum etiam, aedificationem et praeconium posterorum dimanabit, nec quidquam unquam erit Nobis antiquius, quam Pastorum Principem constanter rogare, ut Vobis, qui seminastis in benedictionibus, de benedictionibus et metere abundanter largiatur.

At nunc in hac parte sermonis Nostri praetermittere non possumus, quin ad veram vim et significationem tantarum rerum, mentem Nostram con-

feramus. Quidnam enim tantus Fidelium ardor, tanta alacritas et constantia, tantus eorum consensus in communis Patris acerbitatibus sublevandis, in hac Apostolica Sede suis subsidiis iuvanda eiusque causa tuenda, in deplorandis iniuriis quae eam affligunt, et divina Clementia imploranda, in assiduis peregrinationibus suscipiendis, quidnam huiusmodi studia et non intermissae sollicitudines ostendunt, quid mundo innuunt, quid spectant, quid assequi contendunt?

Haec manifeste luculenterque demonstrant atque confirmant, quod alias iam animadvertimus, perturbationem scilicet et anxietatem in qua sunt Fideles ob communem Patrem hostili dominationi subditum; ac simul universalis veri solemnisque suffragii vim habent, quo contra praetensa suffragia seu potius mendacia huius saeculi, Catholicus orbis universus iterum atque iterum significat, se velle, ut Supremus Pastor Dominici Gregis cum dignitate, libertate, et nemini obnoxia potestate Ecclesiae praesideat.

Haec praeterea dum aperte probant vim caritatis qua membra Ecclesiae Suo Capiti adhaerent, ac proinde etiam firmum unitatis vinculum quo membra ipsa inter se invicem coniunguntur, splendidissime simul docent, Catholicam Ecclesiam tot iniquis modis tantoque impetu oppugnatam, omnique externo auxilio destitutam, at non modo nunquam labefactatam et victam, sed e contra militiae suae labores costanter sustinentem, et vires suas in dies magis explicantem, radices, ut Chrysostomus ait,

habere in caelis, et divina ac immortali vita vigere; pleneque confundunt impiorum voces, qui sanctam Christi sponsam suis defunctam temporibus, effetam viribus, ac etiam extinctam dicere non verentur.

Haec ipsa demum vana ac stulta eorum consilia redarguunt; qui *inique inordinate perverse*, ut Magni Augustini verbis utamur, *volunt levare aquam super oleum, sed demergetur aqua, oleum supereminebit, ponere volunt sub tenebris lucem, fugabuntur vero tenebrae lux manebit, super caelum terram volunt collocare, pondere autem suo cadet terra in locum suum.*

Nos autem, Venerabiles Fratres, considerantes vias divinae Psovidentiae admirabiles, quae tribulationibus solatia miscet ut non deficiant animi et vires, sed fiducia confirmetur, virtus muniatur et erigatur, ex his incitamentum capiamus ut augeamus constantiam et alacritatem nostram in praeliis Domini praeliandis, in officiis ministerii Nostri fideliter obeundis, in adversitatibus pro Dei et Ecclesiae causa impavide perferendis. Dum gravis belli atrocitas terras hoc tempore caede ac sanguine cruentat, quo Deus ab omnibus vult intelligi, quid inter homines, divinis et humanis iuribus eversis, iustitia et veritate oppressa, expectandum sit, producitur etiam nihilo remissior dimicatio nostra, tanto nobilior et sua natura praestantior, quanto ad causam et incolumitatem non Religionis solum sed civilis ipsius Societatis pertinet, et ad ea principia restauranda quae pacis et verae prosperitatis fun-

damenta sunt. Propositum itaque certamen armis militiae nostrae viriliter certemus, in semita iudiciorum suorum sustineamus Dominum, Eum fervide et humiliter obsecrare pergamus ut imperans ventis et mari tranquillitatem reducat; ac interea nec adversa nec potentiam hostium timeamus; Maior est enim qui in nobis est, quam qui in mundo.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CONFIRMANTUR CONSTITUTIONES CONGREGATIONIS OBLATORUM S. CAROLI DIOECESIS WESTMONASTERIENSIS IN ANGLIA.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Simul ac dilecti filii Sacerdotes Congregationis Oblatorum S. Caroli, dioecesis Westmonasteriensis in Anglia, dilecti filii Nostri Henrici Eduardi S. E. Romanae Cardinalis Manning nuncupati, ex concessione ac dispensatione Apostolica Archiepiscopi Westmonasteriensis suffragio fulti, ad Nos supplici cum prece adierunt, ut Constitutiones sui Instituti, quae iam ad tempus atque in experimentum probatae fuerant, in perpetuum confirmare, atque adprobare dignaremur interposita Apostolica nostra auctoritate, rem ad Venerabiles Fratres Nostros S. E. Romanae Cardinales negotiis Fidei Propagandae praepositos deferre maturavimus. Qui quidem Venerabiles Fratres omnibus rei occurrentis sedulo, diligenterque expressis cum easdem constitutiones approbandas esse censuerint, Nos, quibus nihil esse potest antiquius

quam Catholici nominis bono et aeternae fidelium saluti omni industria cura studioque prospicere, votis ac precibus dilectorum filiorum Congregationis, quam memoravimus, obsequium dandum existimavimus. Quaecum ita sint, ea profecto spe freti, fore ut Congregatio huiusmodi in Anglia maximo Christianae ac civili Reipublicae emolumento, futura sit singulos atque universos quibus hae literae favent, a quibusvis excomunieationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Constitutiones Congregationis Oblatorum S. Caroli Dioec. Westmon: in Anglia Nostris hisce Literis ipsissimis verbis veluti insertas et ad tempus haec usque atque in experimentum probatas de VV. Fratrum Nostrum S. E. Romanae Cardinalium de quibus habita mentio est consilio, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, adprobamus sancimus, et confirmamus illisque inviolabile Supremae Nostrae potestatis robur adiicimus, ac diligentissime conservari praecipimus, et iubemus, dummodo tamen eisdem in Constitutionibus emendationes illae peragantur, quas in Epistola dilecti filii nostri S. E. Romanae Cardinalis Summi Concilii Christiano nomini propagando, Praefecti, Nostris hisce literis adiecta tradendas mandavimus. Decernimus porro praesentes Nostras Litteras, firmas, validas, et efficaces semper existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere dictisque Sacerdotibus Congregationis Oblatorum

S. Caroli in omnibus et per omnia his futurisque temporibus plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores Sedis Apostolicae Nuntios ac S. Ecclesiae Romanae Cardinales, etiam de Latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritare, et inane declarare si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de jure quaesito non tollerando Benedicti XIV Praedecessoris Nostris recol. mem. super divisione materiarum aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus nec non Congregationis Oblatorum Sancti Caroli, quam descripsimus, etiam juramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis statutis consuetudinibus ceterisque quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die XXVI Junii MDCCCLXXVII Pontificatus Nostri Anno Trigesimo Secundi.

F. CARD. ASQVINIVS.

DECLARATIO ET EXTENSIO AD VNIVERSAM ECCLESIAM TITVLI DOCTORIS IN HONOREM S. FRANCISCI DE SALES.

DECRETVM

VRBIS ET ORBIS

Quanto Ecclesiae futurus esset decori et quantae coetui universo Fidelium utilitati S. Franciscus Salesius non solum Apostolico zelo, virtutum exemplo et eximia morum suavitate, sed scientia etiam et scriptis coelesti doctrina refertis, sa. mem. Clemens PP. VIII praenuntiare visus est. Audito namque doctrinae specimine, quod Salesius coram ipso Pontifice dederat ad Episcopalem dignitatem promovendus, eidem gratulans Proverbiorum verba usurpavit: « *Vade fili et bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras et in plateis aquas tuas divide* ». Et sane dederat Dominus Salesio intellectum iuxta eloquium suum: cum enim Christus omnes alliciens homines ad evangelica servanda praecepta enunciasset: « *iugum meum suave est et onus meum leve* »; Divinum effatum S. Franciscus ea, qua pollebat caritate et copia doctrinae, in hominum usum quodammodo deducens, perfectionis christianae semitam et rationem multis ac variis tractationibus ita declaravit, ut facilem illam ac perviam singulis fidelibus cuicumque vitae instituto addictis ostenderet. Quae quidem tractationes suavi

stylo et caritatis dulcedine conscriptae uberrimos in tota christiana societate pietatis fructus produxere, ac praesertim Philothea et epistolae spirituales, ac insignis et incomparabilis tractatus de amore Dei, libri nimirum qui omnium feruntur manibus cum ingenti legentium profectu. Neque in mystica tantum theologia mirabilis Salesii doctrina refulget, sed etiam in explanandis apte ac dilucide non paucis obscuris Sacrae Scripturae locis. Quod ille praestitit cum in Salomonis cantico explicando, tum pro re nata passim in concionibus et sermonibus, quorum ope eam quoque laudem est adeptus, ut sacrae eloquentiae dignitatem temporum vitio collapsam ad splendorem pristinum et Sanctorum Patrum vestigia et exempla revocaret.

Quamplures autem Sancti Gebbennensis Antistitis Homiliae, Tractatus, Dissertationes, Epistolae praeclarissimam eius testantur in dogmaticis disciplinis doctrinam, et in refutandis praesertim Calvinianorum erroribus invictam in Polemica arte peritiam, quod satis superque patet ex multitudine haereticorum, quos in sinum ecclesiae catholicae suis ipse scriptis et eloquio reduxit. Profecto in selectis Conclusionibus seu Controversiarum libris quos Sanctus Episcopus conscripsit, manifeste elucet mira rei theologicae scientia, concinna methodus, ineluctabilis argumentorum vis tum in refutandis haeresibus tum in demonstratione Catholicae veritatis, et praesertim in asserenda Romani Pontificis auctoritate, iurisdictionis Primatu, eiusque Infallibilitate, quae ille tam scite et luculenter propugnavit, ut

definitionibus ipsius Vaticanae Synodi praeclusisse merito videatur.

Factum proinde est ut Sacri Antistites et Eminentissimi Patres in suffragiis, in Concistoriali Conventu pro Sancti Episcopi Canonizatione prolatis, non solum vitae eius sanctimoniam, sed potissimum doctrinae excellentiam multis laudibus exornarent, dicentes nimirum Franciscum Salesium sal vere Evangelicum ad saliendam terram et a Calviniana putredine purgandam, editum; et solem mundi qui in tenebris haeresum iacentes, veritatis splendore illuminavit, illique oraculum accomodantes « qui docuerit sic homines, magnus vocabitur in Regno coelorum. » Quinimmo Summus ipse Pontifex s. m. Alexander VII Franciscum Salesium praedicare non dubitavit, tamquam doctrina celebrem aetatique huic nostrae contra haereses medicamen, praesidiumque, ac Deo gratias agendas ait, « quod novum Ecclesiae intercessorem concesserit ad fidei catholicae incrementum, haereticorumque, et a via salutis errantium lumen et conversionem, quippe qui Sanctorum Patrum exempla imitans potissimum catholicae religionis sinceritati consuluit, qua mores informando qua sectariorum dogmata evertendo, qua deceptas oves ad ovile reducendo ». Quae quidem idem Summus Pontifex de praestantissima Salesii doctrina in Concistoriali allocutione iam edixerat, mirifice confirmavit Monialibus Visitationis Anneciensibus scribens: *Salutaris lux, qua Divi Francisci Salesii praeclara virtus et sapientia Christianum Orbem universum late perfudit* ».

Cuius Summi Antistitis sententiae Successor eius Clemens IX accedens in honorem Salesii antiphonam a Monialibus dicendam probavit: « *Replevit Sanctum Franciscum Dominus Spiritu intelligentiae, et ipse fluenta doctrinae ministravit populo Dei.* » Huiusmodi autem SS. Pontificum iudiciis adstipulatus etiam est Benedictus XIV, qui difficilium quaestionum solutiones et responsa Sancti Episcopi Gebennensis auctoritate saepe fulcivit, ac sapientissimum nuncupavit in Sua Constitutione *Pastoralis curae.* Adimpletum igitur est in Sancto Francisco Salesio illud Ecclesiastici « Collaudabunt multi sapientiam eius, et usque in saeculum non delebitur, non recedet memoria eius et nomen eius requiretur a generatione in generationem, sapientiam eius enarrabunt gentes et laudem eius enuntiabit Ecclesia. »

Idcirco Vaticani Concilii Patres supplicibus enixisque votis Summum Pontificem Pium IX communiter rogarunt ut Sanctum Franciscum Salesium Doctoris titulo decoraret. Quae deinceps vota et Eminentissimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales pluresque ex toto Orbe Antistites ingeminarunt, et plurima Canonicorum Collegia, magnorum Lycaeorum Doctores, Scientiarum Accademiae; iisque accesserunt supplicationes augustorum Principum, nobilium Procerum, ac ingens Fidelium multitudo.

Tot itaque tantasque postulationes Sanctitas Sua benigne excipiens gravissimum negotium expendendum de more commisit Sacrorum Rituum Congregationi. In Ordinariis profecto Comitiis ad Vaticanas aedes infrascripta die habitis Emi et Rmi Patres

Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi, audita relatione Emi et Rmi Cardinalis Aloysii Bilio Episcopi Sabinen. eidem S. Congregationi Praefecti et Causae Ponentis, matureque perpensis Animadversionibus R. P. D. Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris, nec non Patroni Causae responsis, post accuratissimam discussionem unanimi consensu rescribendum censuerunt « *Consulendum Sanctissimo pro concessione, seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem Sancti Francisci De Sales cum Officio et Missa De Communi Doctorum Pontificum, retenta Oratione propria et Lectionibus secundi Nocturni,* » Die 7 Iulii 1877.

Facta deinde horum omnium eidem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit et confirmavit, ac praeterea Generale Decretum Urbis et Orbis expediri mandavit. Die 19, iisdem mense et anno.

A. Ep. Sabinen. Card. Bilio S. R. C. Praefectus.

Loco ✠ Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS GASTONI DE SEGVR CANONICO PRIMI ORDINIS SANCTI DIONYSII PRAESIDI AC TOTO SVPREMO CONSILIO OPERVM OPERARIORVM. LVTETIAM PARISIORVM.

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Ecclesia divini Magistri sui spiritus haeres praecipuam semper humiliori populi ordini curam impendit; memor, elegisse Deum pauperes in hoc mundo haeredes regni; maternaque propterea caritate hunc ordinem prosequuta diligenter eum excoluit, a potentum oppressione studiose defendit, omnique ope fovit et erexit. Peculiariter autem illorum emolumento spirituali et temporali prospiciendum sibi duxit, qui dum industria sua manumque labore victum honeste sibi quaerunt, utiles reapse patriae cives se praestant; cum noverit, filium Dei hominem factum hanc sibi potissimum vitae conditionem elegisse. Dum itaque populus tot modis passim gravatur et affligitur quodque deterius est, tot circumvenitur insidiis, ut abiecta religione sua, frena laxet cupiditatibus cor-

ruptionem largius imbibat, eaque incendatur invidia in divites, quae ipsum ad rapinam compellat subversionemque socialis ordinis; nequimus non gratulari vobis, qui, probe intelligentes ingenium, auctoritatem, praestantiam, opes a divina providentia vobis fuisse commissas in auxilium minorum fratrum vestrorum, varias instituisti, sinentibus legibus, consociationes catholicas, sive adolescentium sive opificum sive tyronum, in quibus haec dilectissima populi pars, ecclesiastica auctoritate moderante, sanis imbuta doctrinis et praeceptionibus, eripiatur a discrimine, arceatur a corruptione, et fingatur ad verum emolumentum religionis et patriae. Summopere vero gaudemus, egregias huiusmodi consociationes, etsi recenter invectas, late iam florescere novisque in dies incrementis augeri; ac praeterea vires iunxisse suas per supremum uniuscuiusque moderatorum coetum, in quo, per collata omnium consilia, non modo spiritus unitas foveatur in universis, sed maiori prospiciatur amplitudini vigorique singularom. Praeclaros igitur istius coniunctionis fructus laeti videmus in exhibita Nobis relatione postremi generalis conventus vestri Burdigalensis; in quo menti Nostrae obversantur tot animae a discrimine ereptae et tot arma rebellioni subducta ac in ipsam conversa, quo sunt hominum millia, quos in istas societates catholicas cooptastis. Utinam ubique gliscant sub umbra Ecclesiae beneficae huiusmodi consociationes, quae inter se, cum suis Episcopis et cum hac veritatis cathedra in cuius tantum divina virtute spes affulget periclitanti hominum consortio, mente et affectu

coniunctae, vires apponant ingruenti ordinis subversioni; ac si praevertere nequeant calamitates diuturno molimine paratas, eas saltem lenire valeant ac demum propellere. Id Nos ominamur incepto vestro, id populis, id a Deo petimus enixe, cuius interim favoris auspicem Apostolicam Benedictionem, paternae Nostrae benevolentiae pignus vobis omnibus, Dil. Fil. et singulis, quas moderamini, consociationibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 23 Iulii Anno 1877. Pontificatus Nostri Anno Trigesimoprimo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI NOSTRO
IOSEPHO ANTONIO
EPISCOPO CONCHENSI
CONCHAM IN AEQVATORIALI REPVBLICA

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Lamentabilis profecto iacturae, Ven. Frater, obnoxiam fecit Rempublicam istam sacrilegum Optimi Quitensis Archiepiscopi veneficium, qui clarus sacerdotali virtute, sicuti strenue pugnabat adversus errores docteque coarguebat nefariam typorum licentiam, et erecta fronte tuebatur Ecclesiae iura apud publicae rei moderatores; sic operosam curam clero populoque toti sibi credito ita impendebat, ut immane facinus, quo necatus est, non minorem in-

dignationem, quam luctum, in honestis omnibus excitaverit. Verum dum atrocissimum execramus crimen tantique Viri decessum acerbe dolemus, non leve Nobis solatium afferri sentimus ab Episcopali sapientia et firmitate, qua tu difficultates et pericula non veritus, verbo scriptisque retundere non desinis impietatis impudentiam, refellere doctrinas catholico dogmati adversas ipsamque subruentes Ecclesiae Christi constitutionem ephemeridum ope vulgatas; ac eius asserere praerogativas et iura, non modo canonum auctoritate sancita, sed per solemnia quoque pacta ab ista Republica recepta. Quae sane pacta, cum libere sponteque fuerint inita a civili potestate, cumque sint praestites non minus securitatis Ecclesiae, quam concordiae inter Ecclesiasticam potestatem et laicam; te rogamus etiam atque etiam, ut omni ope tueri coneris, adhibita simul nova Coepiscoporum tuorum opera. In tanta enim re necessarium est omnino, nullam discrepare sententiam, omnium conferri et convenire consilia et operositatem, Venerabilesque Fratres tuos, quibus, uti senior et ordine hierarchico prior, praestas, tibi cohaerere, stare tecum in uno spiritu unanimes collaborantes fidei et Evangelii, et ita in eodem sensu loquentes et agentes, eademque sententia ut, in unum veluti coalescentes iustitiae causam efficaciter defendere valeatis, religionisque et Ecclesiae iura sarta tecta custodire. Spiritum ad hoc mansuetudinis et caritatis, spiritum sapientiae et intellectus, spiritum scientiae et pietatis, spiritum prudentiae et fortitudinis tibi et Episcopis tuis adpre-

camur, Venerabilis Frater; dum tibi, unicuique eorum, universaeque Dioecesi tuae Benedictionem Apostolicam divini favoris auspicem, et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 26 Iulii 1877. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo Secundo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
PRINCIPI GEORGIO LOBKOWITZ
FIDELIBVSQVE BOHEMIAE
ET CATHOLICIS EORVM CONSOCIATIONIBVS

PIVS PP. IX

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Perspectam sane habebamus, Dilecti Filii pietatem vestram illumque spiritum caritatis et unitatis, qui vos huic Petri cathedrae arcte coniungit, eiusque doctrinis sic informat, ut quoties leges ipsius contemni et iura laedi videtis, non solum aegerrime feratis iniuriam, sed eam propulsare conemini et invecta mala civili iure vestro freti, lenire ac nova praevertere. Desiderandum tamen videbatur, ut quod sentitis et domi agitis id in publicam quoque lucem proferretur extra Bohemiae fines, tum ut omnibus fides vestra innotesceret, tum ut pateret,

vos minime iis assentiri, qui, carnis prudentia duce, dum ab Ecclesia recedere nolunt, eam defendere non audent coram proceribus, veriti eorum invidiam fluxarumque rerum detrimentum; omneque propterea studium conferunt in impossibilem conciliationem lucis ad tenebras, ac si Christus non docuisset neminem posse duobus servire dominis et Apostolus eius clarius etiam non dixisset, *si adhuc hominibus placerem Chisti servus non essem.* At postquam Vindobonam convenire non dubitastis acturi de religiosis rebus cum ceteris Austriaci Imperii catholicis, postquam amantissimas litteras ad Nos dedistis veram redolentes filialem pietatem chirographo subscriptas plus quinquies centenorum millium Bohemorum, aliasque praeterea, sive Bohemae consociationis catholico-politicae, sive Pragensis Accademiae Christianae, sive sodalitatis a perpetua Eucharistiae adoratione; adeo perspicuam et illustrem edidistis fidei vestrae propositique professionem, ut in devotione, quam verbo factisque testamini Ecclesiae ac Petri Successori, nulli e teutonicis regionibus secundam quisque censere valeat Bohemiam. Quanto id Nos gaudio affecerit, quantoque propterea affectu gratulemur vobis ob nobilissimas huiusmodi significationes, et adeo praesentibus adiunctis opportunas; melius fortasse intelligetis, quam Nos dicere valeamus. Cum vero tanta perfeceritis alacritate quod arduum videbatur exordiri, iam nihil est quod a virtute vestra expectare merito non possimus, sive in obsistendo catholica constantia invalescentibus malis, sive iisdem inter-

dum etiam in bono vincendis. Vires igitur, firmitatem, auxilia, munera omnia caelestia ad opus adeo salebrosum vobis toto corde adprecamur; ac interim eorum auspicem et paternae praecipuae Nostrae benevolentiae pignus vobis omnibus Dilecti Filii Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 13 Augusti anno 1877. Pontificatus Nostri Anno Trigesimosecundo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS VNIVERSITAS ERIGITVR IN CIVITATE ANDEGAVENSI.

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Multiplices inter Apostolici Ministerii curas praecipuum omni tempore locum tenuit recta iuventutis institutio, ex qua felix cum Ecclesiae, tum civilis Societatis futura conditio magna ex parte permanat. Nam sicut salutaria Sapientiae atque virtutis germina teneris adolescientium mentibus inserta generationem praeparant bonarum frugum probitatis solidaeque doctrinae feracem, ita ex iis miseris iuvenibus, quorum animus prava institutione corruptus fuerit veluti a quibusdam in ipsa radice vitiatis plantis non aliud expectari poterit, nisi perniciosa quaedam messis morum inordinatis affectibus indulgentium et voluptatibus optemperantium, quas tumor alit scientiae vanae et procacis, quae inflat. Quamobrem Romani Pontifices paterna sollicitudine extimulati nullis umquam pepercerunt la-

boribus, ut ancipites primae aetatis gressus in veri et honesti tramitem dirigerent et solidarent. Ipsi nedum Romae et intra Italiam verum etiam in omnibus Mund iplagis Collegia, Convictus, Gymnasia, Academias et Universitates instituerunt, splendidis largitionibus dotarunt, Sapientissimis legibus communierunt, privilegiis cumularunt, omnigenisque praemiis et honoribus, cum magistros, tum discipulos ad Sapientiae studium excitarunt, in id maxime incumbentes, ut una cum literis pietas in animis infunderetur, et cum scientia probitas et religio consociaretur. Verum postquam scientiarum traditio sollicitae Ecclesiae vigilantiae subducta fuit, non modo negligi et adulterari ceperunt severa studia potissimorum principiorum humanarum cognitionum circa aeternas iusti legem, animae immortalitatem, Deique existentiam eiusque attributa, sed etiam, quod absque ingenti animi dolore commemorare non possumus, pueri et adolescentes qui e maternis labiis coelestis doctrinae papulum susceperant erudiendi traditi sunt magistris impiis, qui omni rerum divinarum idea sublata flexibiles illorum mentes cuiuscumque Auctoritatis contemptui et voluptatis illecebris manciparunt. Quid plura? In ipsis publicis exedris eo usque perventum est, ut coram christianis adolescentibus talia docerentur opinionum monstra, quae ipsos ethnicos philosophos dedecerent. Cum autem christiani parentes tot malorum colluviem cohibere non possent acerbe deplorabant pericula, quibus obiiciebatur liberorum suorum fides ac religio, quae sibi quam ipsamet ipsorum vita eo carior

erat, quo magis anima corpori praestat atque aeterna hominis felicitas caducis fluxisque huius vitae commoditatibus antecellit. Quocirca statim ac ob recentes in Gallia leges quaedam libertas institutionis, uti vocant, Superioris restituta fuit, nulla interposita mora catholici illius inclytae nationis fidei alacri animo Pastorum suorum voci obsequentes, opportuna pecuniarum subsidia certatim contulerunt ad instituendas Scholas et Universitates, in quibus, utpote catholicis nuncupatis huic nomini doctrinae Sanctitas, fideique puritas responderet. Nondum elapsus est annus a canonica Universitatis Insulensis fundatione dum iam Nostri Venerabiles Fratres Godefridus tituli S. Mariae de Victoria Massais Saint Marc S. R. E. Presbyter Card. Archiepiscopus Rhedonensis, Carolus Collet Archiepiscopus Turquensis, Casimirus Alexius Vicat olim Episcopus Vallis Vidonis, Nicolaus Iosephus Dobert Episcopus Petronicensis, Carolus Emilius Iuppel Episcopus Ardegavensis, Hector Albertus Outremont Episcopus Cenomanensis, Alexander Leopoldus Sebaux Episcopus Ergolismensis, Iulius Franciscus Lecoy Episcopus Lucionensis, Iulius Dionysius le Mardy de Marais Episcopus Vallis Vidonis reverenter Nobis preces porrexerunt, ut similem alteram Universitatem Nobis erigere luberet in Civitate Andegavensis convenarum frequentia, morum suavitate atque scientiarum cultu florentissima, in qua suarum et aliarum vicinarum Dioecesium adolescentes ad virtutem informari atque puras salutaris doctrinae aquas haurire possent Ipsi Nobis palam fecerunt assiduas at-

que sollicitas eorum curas ad illud recens institutum inchoandum et provehendum adhibitas illius Dioecesis fidelium promptam atque copiosam pecuniarum collationem, paratum aedificium cunctisque ad scientias tradendas adminiculis instructum conspicuas professorum dotes ac demum communem eorum spem novum Archigymnasium fidei integritate et doctrinae laude aemulaturum esse antiquam Universitatem Andegavensem quae ex totius Galliae celebrioribus una fuit. Ad hunc vero praeclarum finem assequendum et ad doctrinae puritatem nedum in praesentiarum, verum etiam in posterum inter multiplices errorum scopulos atque impietatis insidias sartam tectam servandam nihil antiquius habuerunt quam ut novum Institutum erga Summum Pontificem Petri successorem et infallibilem veritatis magistrum singulari prorsus observantia duceretur seque perpetuo interne unitum custodiret cum hac Sancta Romana Ecclesia, quae de omnibus dubiis et obscuris quae ad rectae fidei tenorem vel pietatis dogmata pertinent ut omnium Ecclesiarum mater et magistra nutrix ac doctrix est consulenda et eius salubria monita sunt tenenda. – Hincmarus Archiepiscopus Rhemensis praef. lib. de divortio Lotharii et Teutbergae-Nos itaque ex iis quae hactenus gesta sunt occasionem captantes sperandi hoc opus quamprimum ad ultimum suum complementum perductum iri illudque ad Christianam institutionem et educationem in occidentali Galliae regione instaurandum perfuturum esse, ante omnia approbamus propositum novo Instituto finem fidei

Catholicae omnem arctamque Sedi Apostolicae adhaesionem, quibus eiusdem leges ac fundatores se affectos ostendunt, debitasque laudes tribuimus praememoratis Praesulibus et nominatim dilectissimis Nostris Fratribus S. R. E. Cardinali Brassais Saint Marc Archiepiscopo Turonensi et Episcopo Antegavensi, qui tanto studio ad egregium hoc opus inchoandum et promovendum adlaborarunt. Deinde vero Nostra gratia et favore dignos declaramus eos omnes sive clericos, sive laicos cuiuscumque sexus conditionis et naturae, qui sacrorum Pastorum hortamentis obsecundantes ipsorum opera consiliis splendidissime atque ultraneis largitionibus eiusmodi fundationi adiumentum iam praestarunt aut in posterum praestabunt, cunctosque in Domino exhortamur ad suum pro viribus studium in eo collocandum, ut eadem complementum et stabilitatem obtineat. Aequo igitur animo praedictorum Nostrorum Fratrum preces excipientes atque electae illius Christiani gregis partis bono consulere volentes audito etiam Nostrorum Venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium studiis moderandis praepositorum voto Nostrae potestatis Apostolicae plenitudine utentes instituimus erigimus et confirmamus Catholicam Universitatem Andegavi in Gallia, in qua S. Theologia, Iurisprudentia, Medicina, Litterae et Scientiae Phisicae et Mathematicae tradentur, illamque omnibus privilegiis libertatibus et honoribus, qui praecipuis Universitatibus conferri solent exornamus. Volumus autem, ut idem semper praesit tamquam in hac re Personam Nostram gerens Cancellarius a Nobis et Suc-

cessoribus Nostris designandus, cui muneri pro hac vice Nostris Litteris in forma Brevis praefecimus dilectum Fratrem Carolum Emilium Freppel Episcopum Andegavensem insignem huius operis promotorem tribuentes ipsi et omnibus illis qui speciali benignitate Apostolica in hoc officio ei succedent omnia iura et praeminentias eidem adnexas et praecipua altam inspectionem super disciplinam et doctrinas tradendas, nec non faculatem gradus Academicos nedum Baccalaurei et Licentiati, verum etiam Doctoris in cunctis praememoratis scientiis iuxta Universitatis leges et Sacrae Congregationis Studiorum moderatricis decreta conferendi. Decernimus insuper ut hi gradus Academici eumdem valorem obtineant, quem haberent si in celebrioribus Universitatibus a Romanis Pontificibus institutis et fundatis collati fuissent, utque Rector, Professores, Officiales et Alumni Universitatis Andegavensis iisdem honoribus et praerogativis quae praedictarun celebriorum Universitatum propriae sunt gaudeant et fruantur. Volumus autem praesentes Nostras Litteras et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod quilibet interesse habentes, seu habere praetendentes vocati et auditi non fuerint ac praemissis non consenserint nullo umquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae vel alio quolibet etiam substantiali defectu notari impugnari, vel alias infringi aut quomodolibet retractari suspendi, restringi, limitari vel eis in aliquo derogari posse, seu etiam adversus eas restitutiones in integrum, aperitionis oris, aut

aliud quodcumque iuris vel facti aut iustitiae remedium impetrari, sed semper et perpetuo validas firmas et efficaces esse et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab omnibus ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit inviolabiliter observari ac dictae Universitati, ut praefertur, erectae, illiusque personis perpetuo suffragari debere, sicque in praemissis per quoscum- Iudices, Ordinarios vel Delegatos etiam S. R. E. Cardinales censeri sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, iudicari et definiri debere, ac si super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum et inane declaramus ac decernimus. Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis nec non dictae Universitatis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et concessionibus, quamvis expressa, specifica et individua mentione dignis quibus omnibus et singulis eorumque totis tenoribus praesentibus pro insertis habentes ad praemissorum effectum latissime et plenissime ac specialiter et expresse derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod earumdem praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen aliicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae institutionis, erectionis,

confirmationis reservationis, concessionis, deputationis, derogationis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo septimo Nono Calendas Septembris Pontificatus Nostri Anno Trigesimosecundo.

F. Card. Asqvinivs.
C. Gori Svbdat.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS ECCLESIA CATHEDRALIS GVADALVPENSIS TITVLO BASILICAE MINORIS DECORATVR.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Ad fidelium pietatem magis, magisque fovendam eorumque liberalitatem in amplificanda Cathedrali Ecclesia Guadalupensi remunerandam a Venerabili Fratre Beniamino Iosepho Blauger Guadalupensium Episcopo supplicantum Nobis est, ut eamdem Ecclesiam Cathedralem Basilicae minoris titulo ac privilegiis decorare velimus. Nos huiusmodi precibus per dilectum filium Nostrum Alexandrum S. R. E. Card. Franchi, Consilii Christiano nomini propagando Praefectum Nobis admotis, libenti animo obsecundandum censuimus. Nos igitur peculiari beneficio omnes et singulos quibus hae litterae Nostrae favent, prosequi volentes, Cathedralem Ecclesiam Guadalupensem in Basilicam minorem cum omnibus, et singulis privilegiis honoribus, praeminentiis exem-

ptionibus, et indultis, quibus aliae Ecclesiae huiusmodi titulo insignes quomodolibet utuntur fruantur, vel uti, ac frui possunt, et poterunt, Apostolica Auctoritate Nostra, harum Litterarum vi, perpetuum in modum erigimus atque instituimus, praedictamque Ecclesiam Cathedralem Basilicam minorem appellari et haberi volumus. Decernentes has Litteras Nostras firmas, validas et efficaces fore, dictaeque Ecclesiae Cathedrali plenissime suffragari, et ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quotiescumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores. Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. R. E. Card. etiam de Latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus esset, fel. rec. Benedicti XIV Praedec. Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, atque in universalibus provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, aut specialibus constitutionibus, nec non dictae Ecclesiae etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de ver-

bo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die XVII Augusti MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri Anno Trigesimosecundo.

F. Card. Asquinius.

LITTERAE APOSTOLICAE

ERECTIO COLLEGII THEOLOGICI IN SEMINARIO PANORMITANO CVM FACVLTATE GRADVS ACCADEMICOS CONFERENDI.

PIVS PP. IX.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM

Si umquam alias Romani Pontificis Praedecessores Nostri singulari cura, studio et sollicitudine advigilarunt opportunaque decreverunt, ut sacra praesertim studia proveherentur, quanto magis id Nobis in tanta temporum adversitate urgendum est, quando iniquissimis legibus nedum quasi inutilia, sed et odiosa magnis studiorum lyceis exterminantur theologicarum disciplinarum studia. Iam vero expositum Nobis est a Ven. Fratre Michaele Angelo Celesia Archiepiscopo Panormitano Clericis Dioecesis suae sublato Panormi clericorum regularium Societatis Iesu Collegio, deletisque in magno Studiorum Lyceo eiusdem Civitatis theologicis Studiis facultatem assequéndi in Sacris disciplinis academicos gradus ademptam esse, ac proinde ab eodem Ven. Fratre supplicatur Nobis, ut in Panormitano Seminario erigi

possit theologicum Collegium cum facultate praedictos gradus conferendi, quam quidem facultatem rec: me: Benedictus XIV Praedecessor Noster suis Litteris « *In supereminenti* » sub Anulo Piscatoris Anno MDCCCXLV Archiepiscopali Seminario Panormitano concesserat, quae tamen litterae numquam ad effectum sunt adductae. Collatis hac super re consiliis cum dilecto filio Nostro Thoma S. E. R. Cardinali Martinelli Consilii studiis moderandis Praefecto et mature rebus omnibus perpensis huiusmodi votis obsecundandum censuimus. Quapropter Apostolica Auctoritate Nostra hisce Litteris in Archiepiscopali Seminario Panormitano theologicum Collegium erigimus atque instituimus, eique ad Nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum tribuimus ac deferimus potestatem concedendi in facultate theologica academicos gradus, ipsamque doctoris lauream omnibus alumnis convictoribus ac discipulis, qui theologicarum disciplinarum cursum in eodem Seminario Archiepiscopali expleverint, nec non Clericis et Sacerdotibus in Panormitana dioecesi residentibus, qui penes institutionis Collegium ab Ordinario approbatum, servato Studiorum programmate, quo idem Archiepiscopale Seminarium utitur sedulam theologicis disciplinis per quadriennium operam dederint. In concedendis vero huiusmodi gradibus et ipso doctoris gradu volumus atque decernimus, ut omnino serventur leges ab eodem Venerabili Fratre Michaele Angelo Archiepiscopo praepositae et a praefecto dilecto Filio Nostro Cardinali Martinelli emendatae et approbatae, quorum authenticum exem-

plar in tabulario Nostrae Secretariae Brevium servari iussimus. Iis denique, qui supradictos gradus et lauream a memorato Collegio theologico, servatis servandis, obtinuerint, Apostolica Auctoritate Nostra concedimus, ut omnibus ac singulis privilegiis et facultatibus, quibus uti ac frui possent, si ad eosdem honoris gradus in qualibet Studiorum Universitate fuissent rite promoti, dummodo fidei professionem iuxta formam a fel: rec: Pio IV Praedecessore Nostro praescriptam et a Nobis renovatam rite praestiterint, uti ac frui possint. Non obstantibus Apostolicis Constitutionibus et Ordinationibus aliisque individua licet ac speciali mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub Anulo Piscatoris die XVII Augusti MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri Anno XXXII.

F. Card. Asqvinivs.

LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS CATHEDRALIS ECCLESIA ATHENIENSIS BASILICAE MINORIS TITVLO AC PRIVILEGIIS AVGETVR.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

Renuntiatum est Nobis a Dilecto Filio Nostro Alexandro S. R. E. Card. Franchi Praefecto Congregationis Christiano nomini propagando propositae, Ven: Fratrem Ioannem Marangò Archiepiscopum Atheniensem, ad fidelium pietatem magis, magisque fovendam, excitandamque in votis admodum habere, ut Cathedralis Ecclesia sua, Basilicae minoris titulo, ac privilegiis augeatur. Nos huiusmodi votis obsecundare, omnesque et singulos, quibus hae Litterae Nostrae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes, Cathedralem Ecclesiam Atheniensem in Basilicam minorem, cum omnibus, et singulis

privilegiis, praeeminentiis, exemptionibus, et indultis, quibus aliae Basilicae minores huiusmodi utuntur, fruantur, vel uti, ac frui possunt, et poterunt, Apostolica Auctoritate Nostra, tenore pransentium, evehimus ac talem perpetuo esse, et fore statuimus, eamdemque Cathedralem Ecclesiam Basilicam nuncupari et haberi volumus. Decernentes has Litteras Nostras firmas, validas, et efficaces fore, dictaeque Ecclesiae plenissime suffragari, et ab omnibus ad quos spectat quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, ac S. R. E. Cardinales etiam de Latere Legatos sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, fel: rec. Benedicti XIV Praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, atque in universalibus, provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae Ecclesiae etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, et Litteris Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis, quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter

expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Anulo Piscatoris die XXI Augusti MDCCCLXXVII, Pontificatus Nostri Anno trigesimo.

F. Card. Asqvinivs.

EPISTOLA

VENERABILI FRATRI PETRO
EPISCOPO ANICIENSI

PIVS PP. IX.

VENERABILIS FRATER
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Cum Dei Filius se missum dixerit evangelizare pauperibus, et proletariis reapse praecipuas impenderit curas, et ex iis discipulos sibi elegerit; peropportune profecto sub auspiciis Matris eius censendus est coactus illorum coetus, qui ex ipso suae consociationis instituto causam agunt operariorum. Quae enim materna miseratione mota considerat

eorum aerumnas, et conspicit insidias et pericula, quibus circumveniuntur et videt quantum impietas sibi spondeat subsidii ad publicas res subvertendas ex eorum viribus sibi adiunctis, quaeque iamdiu et ipsos per iugem ac splendidam beneficiorum seriem ad se allicere studet, et Galliam in peculiare suum se recepisse patrocinium per innumera prodigia demonstrat; benignissimo plane favore adesse debuit coetui in illorum istiusque simul tutelam congregato. Gratulamur itaque tibi quod conventui praefueris adeo consentaneo Pastoralis animi tui comparationi; cum non alio studia spectent sive Praesidis totius societatis, sive moderatorum diversarum sectionum, quam ad subsidiariam operam suam ferendam Episcopis in iis quae mentes eorum maxime sollicitant. Siquidem per sedulam religiosam et operariam iuventutis institutionem paternasque curas adhibitas eam revocare conantur a vitiis, pravis consuetudinibus et periculis, fingere ad pietatem virtutes et laborem, ingeniorum vires et industriam convertere in proprium cuiusque et in communem utilitatem, dissociatosque vel opinionum discrepantia, vel lucri cupiditate patronorum et opificum animos in unum coniungere; atque ita restituta mutua caritate, confirmata in bonum unitate, dexteritate singulorum promota, prospicere divinae gloriae, honori Ecclesiae, saluti animarum, civilis consortii commodo, patriae prosperitati. Haec ipsis, Deipara suffragante, copiosa concedi optamus et poscimus a Deo; cuius interim favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus Aposto-

licam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, et illis omnibus, ac etiam universae Dioecesi tuae peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Septembris Anno 1877. Pontificatus Nostri Trigesimosecundo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
PRAESIDI ET CONSILIARIIS
CONSILII PERMANENTIS CONVENTVS
CATHOLICI ITALI

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Si studium, quo convenire soletis ad opem, concilia et operam conferendam in rei catholicae tutelam et provectum saepe laudavimus, Dilecti Filii, ampliore profecto commendatione nunc id dignum censemus, tum quod non deterreamini a copiosiore et graviore laboris materia vobis parata a religiosarum rerum conditione quotidie afflictiori, tum quod

anno praeterito indignissime habiti et impune disiecti, non sine gravissimo comitatis istius urbis dedecore, novas inde, gaudentes pro nomine Iesu contumeliam pati, vires duxisse videamini ad inceptum vestrum alacrius prosequendum. De qua sane nobili animi comparatione vobis ultro gratulamur, utpote quam peropportunam imo et necessariam ducamus ad indictum Bergomi conventum; non minus ob negociorum molem vobis praeferendam ab invalescentibus malis, quam quod resumenda necessario consilia, violenter alias intercepta, novum adiectura sint auctarium ineundo labori. Verum quae indole sua amplexiores factura forent futuri conventus tractationis ea non leviter simul vos excitabunt ad ampliora et prudentiora consilia; ad perfectam illam unanimitatem, sine qua vires vestrae necessitati prorsns impares fierent; ad operositatem intendendam in propagationem et provectum conventuum catholicorum, quos tristiores semper religiosae civilisque rei vires crebriores et actuosiores exposcunt; ad incendendum denique catholicorum omnium zelum, ut unusquisque in communi religionis et Ecclesiae causa propriam respiciens, ei suffragrari pro virili nitatur concordi cum ceteris, qua poterit, ratione. Ceterum cum firmitas vestra in iniuriis, insectationibus, contumeliis pro iustitia tolerandis caelestem vobis opem conciliare debeat, merito confidimus clementissimum Deum, sic vobis lumine adfuturum ac virtute sua, ut in tanta rerum difficultate dispicere possitis quae agenda sint, et quae constitueritis perficere valeatis. Id certe Nos

vobis et universo cogendo coetui adprecamur; dum superni favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem vobis, Dilecti Filii, totique eidem conventui Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum 24 Septembris Anno 1877. Pontificatus Nostri Anno secundo.

PIVS PP. IX.

EPISTOLA

DILECTIS FILIIS
PRAESIDI GENERALI ET CONVENTVI CATHOLICO
BERGOMI COACTO CORAM VENERABILIBVS FRATRIBVS
EPISCOPIS BERGOMENSI EIUSQVE COADIVTORE,
COMENSI ET CENETENSI

PIVS PP. IX.

DILECTI FILII,

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Si divinus magister noster iam iam tradendus inimicis suis discipulos commendavit, quod secum permansissent in tentationibus suis, nequimus profecto, Dilecti Filii, vos non laudare, qui pluribus abhinc annis nullo labori parcitis, nullo sumptui et adversa quaelibet alacriter perfertis, ut non modo maneatis Nobiscum in tribulationibus Nostris, sed curas omnes impendatis tum in religiosae rei tutelam, tum ad devinciendos Nobis arctiore caritatis et obsequii vinculo filios Nostros. Luculentum prorsus

huius piissimi studii testimonium nuper habuimus in Bergomensi catholico conventu, quo frequentes convenistis acturi de ferendis Ecclesiae laboranti auxiliis; et ubi nobile propositum confirmastis adhaerendi Nobis saeva procella iactatis. Cuius quidem propositi praestantiam insigniorem quoque fecistis Nobisque iucundiorem per illud concorde et solenne promissum centenis confirmatum adscriptis nominibus, quo perfectam unanimitatem sententiae et actionis vos servaturos esse spopondistis ad disiiciendos cum Nobis impietatis et rebellionis conatus, ablegata qualibet aliena disquisitione et disceptatione. Hoc enim prudente consilio ducti ultro et obsequenter excipietis et accurate sequemini monita mentemque Sanctae huius Sedis et per hoc facile crebras vitabitis insidias eorum qui, sapienter in oculis suis, sibique arrogantes non concessam missionem consulendi ac suadendi ea, quae temere arbitrantur expedire revocando ordini pacique restituendae, non paucos ex addictissimis ipsis filiis Nostris ingenii scientiaeque apparatu illectos, sensim avocant a prisco erga sententias Nostras obsequio; atque ita disgregantes unanimitatem scindunt catholicas vires hostibus coniunctim opponendas. Deum itaque rogamus, ut in proposito vestro perseveretis, semperque cum Nobis et iuxta huiusce Cathedrae veritatis sententiam dimicare pergatis pro iustitia, quo gratiam promereamini necessariam in difficili pugna et praemium demum assequamini paratum decertantibus pro huiusmodi causa. Interim excipite gratulationes Nostras et Apostolicam Benedictionem

quam divini favoris auspicem et paternae Nostrae Benevolentiae pignus universis ac unicuique vestrum, Dilecti Filii, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 Novembris Anno 1877. Pontificatus Nostri Anno Trigesimosecundo.

PIVS PP. IX.

LITTERAE APOSTOLICAE

QVIBVS CONFIRMATVR TITVLVS DOCTORIS IN HONOREM S. FRANCISCI SALESII.

PIVS PP. IX.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Dives in misericordia Deus, qui Ecclesiae suae in hoc mundo militanti numquam defuit, at iuxta varias rerum ac temporum vicissitudines opportuna sapienter praesidia subministrat, cum saeculo XVI chistianas gentes in virga furoris sui visitaret, pluresque Europae provincias grassantium late haeresum tenebris obrui permitteret, haud volens plebem suam repellere, nova sanctorum virorum lumina provide excitavit, quorum splendore collustrati Ecclesiae filii in veritate confirmarentur, ipsique praevaricatores ad illius amorem suaviter reducerentur.

E quorum clarissimorum hominum numero Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, inclytae sanctitatis exemplar, et verae piaeque doctrinae magister extitit, qui ne dum voce, sed et scriptis immortalibus insurgentium errorum monstra confodit fidem asseruit, vitiis eversis mores emendavit, cunctis pervium coelum ostendit. Qua praecellenti sapientia eam laudem assecutus est, qua veteres illos ac praecipuos Ecclesiae Dei doctores praestitisse sa: mem: Bonifacius VIII Praedecessor Noster declaravit (Cap. Un. de rel. et ven. SSrum. in 6.); qui scilicet « per salutaria documenta illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, et moribus informarunt », quosque descripsit « quasi luminosas ardentesque lucernas super candelabrum in Domo Dei positas, errorum tenebris profugatis, totius corpus Ecclesiae, tamquam sidus matutinum » irradiantes « scripturarum reserantes aenigmata, ac profundis et decoris sermonibus ipsius Ecclesiae fabricam, veluti gemmis vernantibus » illustrantes. Hoc sane elogium ad Genevensem Episcopum pertinere, vel eo adhuc vivente, maxime vero post eius obitum, fama percelebris testata est et ipsa scriptorum ab eo relictorum singularis eminentia invicto plane argumento demonstrat. Enimvero magno in pretio Francisci doctrinam, dum in vivis ageret, habitam esse, vel ex eo colligere licet, quod e tot strenuis veritatis catholicae defensoribus, qui eo tempore florebant, unum Genevensem Praesulem sa: mem: Clemens VIII Praedecessor Noster elegerit, quem adire iuberet Theodorum Bezam Calvinianae pestis propugnatorem

acerrimum, et cum eo solo solum agere, ut illa ove ad ovile Christi revocata, plures alias reduceret. Quod munus adeo eximie Franciscus non sine vitae suae periculo, implevit, ut haereticus homo ex merito confutatus veritatem fassus sit, licet ex scelere, arcano Dei iudicio, indignus extiterit, qui ad Ecclesiae sinum rediret. Nec minori plane aestimatione sanctum Episcopum gavisum fuisse exinde constat, quod sa: me: Paulus V Praedecessor Noster, dum celebris disceptatio « de Auxiliis » Romae ageretur, sancti huius Praesulis sententiam ea super re exquiri voluerit, eiusque consilio obsecutus, subtilissimam, ac periculi plenam quaestionem diu acriusque exagitatam, indicto partibus silentio, consopiendam iudicaverit. Quin imo, si ipsae epistolae ab eo ad plurimos scriptae considerentur, cuique compertum erit, Franciscum ad instar gravissimorum inter veteres Ecclesiae Patres, a compluribus, de iis, quae ad Catholicam fidem explicandam, tuendamque, quaestiones ea de re enucleandas ac vitam ad Christianos mores componendam pertinerent, rogatum saepe fuisse; ipsumque, multa persecutum copiosissime ac docte, apud Romanos Pontifices, apud Principes, apud Magistratus, apud sacerdotes cooperatores suos in sacro ministerio, adeo valuisse, ut eius studio, hortationibus, monitis consilia saepe inita fuerint, quibus regiones ab haeretica lue purgarentur, catholicus cultus restitueretur, religio amplificaretur. Haec praecellentis doctrinae opinio post illius obitum imminuta non est, imo vehementer aucta; virique ex omni ordine cla-

rissimi, ipsique Summi Pontifices, eminentem illius scientiam magnis laudibus extulerunt. Equidem sa: me: Alexander VII in Bulla Canonizationis (XIII Kalendas Maias MDCLXV). Franciscum Salesium, doctrina celebrem, sanctitate admirabilem praedicavit, aetatique suae contra haereses medicamen, praesidiumque; ita ut scriptorum illius documentis irrigata populorum ac virorum nobilium pectora affluentem evangelicae vitae messem peperisse affirmet. Quibus plane congruit, quod in Consistoriali allocutione ante Canonizationem habita, complexus est, Salesium scilicet « docendo omnes, tum doctrinae salubris verbo, tum vitae innocentis exemplo » multa in Ecclesiae bonum praestitisse, eiusque adhuc magnam partem superesse « ope monitorum, et evangelicae disciplinae documentorum, quae libris consignata, fidelium manibus terebantur. » Nec ab his aliena sunt, quae in literis datis ad Moniales Visitationis Monasterii Anneciensis V Kalendas Augusti An: MDCLXVI aiebat, virtutem nimirum, ac sapientiam illius « Christianum orbem universum late perfundere; » inclyta eius promerita « doctrinamque plane divinam » se admiratum, eum elegisse, quem « praecipuum vitae ducem, ac magistrum sequeretur ». Quod quidem magisterium sa: mem: Clementi IX Praedecessori Nostro eiusmodi visum est, ut et antequam Pontifex esset, de Salesio asseruerit « praeclarissimis voluminibus pium quodammodo armamentarium animarum beneficio condidisse, » et Pontificatum adeptus antiphonam in illius honorem probaverit, in ea verba, « Reple-

vit Sanctum Franciscum Dominus Spiritu intelligentiae et ipse fluenta doctrinae ministravit populo Dei.» Suis vero Antecessoribus concinens Benedictus XIV sa: me: libros Genevensis Praesulis scientia divinitus acquisita scriptos affirmare non dubitavit, illius auctoritate usus difficiles quaestiones solvit, sapientissimum animarum rectorem appellavit. (Const. « Pastoralis curae » V Augusti MDCCXLI). Itaque mirandum minime est plurimos qui ingenii, ac doctrinae laude florerent, academiarum doctores, oratores summos, iurisconsultos, theologos insignes, et vel ipsos principes virum hunc vere magnum ac doctissimum ad haec usque tempora praedicasse: multos vero, ut magistrum fuisse secutos, atque ex eius libris plura in sua scripta derivasse. Porro haec universalis persuasio, de excellenti Salesii scientia, ex qualitate ipsa doctrinae ipsius exoritur, quae nimirum in sublimi sanctitatis culmine ita in eo supereminet, ut Doctoris Ecclesiae tota propria sit, virumque hunc inter praecipuos magistros sponsae suae a Christo Domino datos, accensendum suadeat. Quamvis enim sanctos Doctores, qui primis Ecclesiae saeculis floruerunt, antiquitas ipsa spectatos faciat, latinique aut graeci sermonis, quo libros ediderunt, in his ornamentum accedat, id tamen potissimum, ac plane necessarium (quod supra monuimus) huic magisterio est, ut in scriptis diffusa ultra communem modum doctrina coelestis appareat, quae argumentorum copia, et varietate, splendoribus veluti circumamicta, totum Ecclesiae corpus nova luce perfundat, sitque fidelibus in salutem. Haec itaque

laudum praeconia Genevensis Episcopi libris apprime conveniunt. Sive enim quae de rebus asceticis ad christianam vitam sancte, pieque ducendam, sive quae de controversiis ad fidem tuendam, et haereticos refutandos, sive quae de divini verbi praedicatione scripsit considerentur, nemo est qui non videat, quanta per sanctissimum virum emolumenta sint in Catholicum populum invecta. Equidem duodecim libris insignem, atque incomparabilem tractatum « de amore Dei » docte, subtiliter, dilucideque complexus est, qui tot praecones de suavitate sui auctoris habet, quod lectores. Maxime autem vivis coloribus virtutem, alio opere, quod « Philothea » inscribitur, pinxit: ac prava sternens in directa, et aspera in vias planas, universis Christifidelibus iter ad eam ita facile commostravit, ut vera exinde pietas lucem suam ubique effunderet, viam sibi ad regum solia, ad ducum tentoria, ad iudiciorum forum, telonia, officinas, et ipsa oppidula pastorum aperiret. Enimvero iis scriptis ex sacra doctrina summa scientiae sanctorum principia eruit, et ita enucleat, ut insigne ipsius privilegium plane visum sit, quod ad omnes fidelium conditiones sapienter, leniterque eamdem accomodare noverit. Huc accedunt tractatus de rebus ad magisterium pietatis spectantibus, ipsaeque Constitutiones, sapientia, discretione, ac suavitate conspicuae, quas pro Sanctimonialibus Ordinis Visitationis Beatae Mariae ab eo constituti scripsit. Uberrimam etiam rei asceticae segetem epistolae ipsius ad plurimos datae suppeditant, in quibus illud plane mirabile est, quod

Spiritus Dei plenus, et ad ipsum suavitatis auctorem accedens, devoti cultus erga Sacratissimum Cor Iesu semina miserit, quem in hac nostra temporum acerbitate maximo pietatis incremento mirifice propagatum, summa cum animi Nostri exultatione conspicimus. Nec praetereundum est, in his lucubrationibus, ac praesertim in interpretatione Cantici Canticorum, plura scripturarum aenigmata, quae ad morales, et anagogicos sensus pertinent, reserari, enodari difficultates, obscura nova luce perfundi, quibus licet inferre, Deum, coelesti sua irrigua gratia influente, sancto huic viro sensum aperuisse, ut intelligeret scripturas, easque pervias doctis, indoctisque redderet. Porro ad retundendam haereticorum sui temporis pervicaciam, confirmandosque catholicos, non minus feliciter, ac de asceticis rebus « Controversiarum » librum in quo plena Catholicae Fidei demonstratio est, aliosque tractatus, concionesque de veritatibus fidei, itemque « Vexillum Crucis » conscripsit, quibus adeo strenue, pro Ecclesiae causa certavit, ut innumeram perditorum hominum multitudinem ad eius sinum reduxerit, fidem in tota Caballiacensium provincia, longe lateque, restituerit. Imprimis auctoritatem huius Apostolicae Sedis, ac Romani Pontificis Beati Petri successoris propugnavit, ac ipsius Primatus vim ac rationem, ea perspicuitate explicavit, ut Vaticani Oecumenici Concilii definitionibus feliciter praeluserit. Certe, quae de infallibilitate Romani Pontificis, in quadragesimo sermone « Controversiarum » asserit, cuius authographum, dum in Concilio res age-

retur, detectum est, eiusmodi sunt, quae nonnullos Patres tunc ea super re adhuc ancipites, ad definitionem decernendam, veluti manu duxerint. Ex tanto sancti Praesulis in Ecclesiam amore, et eius defendendae studio ea ratio enata est, quam in divini verbi praeconio adhibuit, sive ad christianam plebem in elementis fidei erudiendam, sive ad mores doctiorum informandos, sive ad fideles omnes ad perfectionis culmen deducendos. Etenim se debitorem agnoscens sapientibus, et insipientibus, omnibus omnia factus, simplices, et agrestes homines in simplicitate sermonis docere curavit, inter sapientes vero locutus est sapientiam. Qua super re, et prudentissima praecepta tradidit, idque assecutus est, ut sacrae eloquentiae dignitas temporum vitio collapsa, ad antiquum splendorem proposito Sanctorum Patrum exemplo revocaretur; atque ii disertissimi oratores ex hac schola prodierint, a quibus uberrimi fructus in universam Ecclesiam redundarunt. Itaque sacrae eloquentiae instaurator, ac magister ab omnibus habitus est. Denique coelestis eius doctrina, veluti aquae vivae flumen, irrigando Ecclesiae agro, adeo utiliter populo Dei fluxit ad salutem, ut verissima appareant, quae sa: mem: Clemens VIII Praedecessor Noster, Salesio, cum ad Episcopalem dignitatem eveheretur, veluti divinans dixerat, iis proverbiorum verbis adhibitis: « Vade fili, et bibe aquam de cisterna tua, et fluentia putei tui; deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. » Has itaque salutis aquas haurientes cum gaudio fideles, eminentem Genevensis

Episcopi scientiam suspexerunt, eumque magisterio Ecclesiae dignum ad haec usque tempora existimarunt. Enimvero his causis adducti, plurimi ex Vaticani Concilii Patribus, Nos, enixis votis, communi voce rogarunt, ut Sanctum Franciscum Salesium Doctoris titulo decoraremus. Quae quidem vota, et Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinales, et plures ex toto orbe Antistites, ingeminarunt; iis vero plura Canonicorum Conlegia, magnorum Lycaeorum Doctores, scientiarum Academiae, augusti Principes, ac nobiles proceres, ingens denique fidelium multitudo suis supplicationibus accesserunt. Nos itaque tot tantisque precibus obsecundare lubenti animo volentes, gravissimum negotium, ut moris est, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositorum examinandum remisimus. Iamvero dicta Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregatio in ordinariis comitiis ad Nostras Vaticanas aedes die VII Iulii labentis anni habitis, audita relatione Venerabilis Fratris Nostri Cardinalis Aloisii Bilio Episcopi Sabinensis, eiusdem Sacrae Congregationis tunc Praefecti, et causae Ponentis, mature perpensis animadversionibus Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris, nec non Patroni causae responsis, post accuratissimum examen, unanimi consensu rescribendum censuit « Consulendum Sanctissimo pro concessione, seu declaratione, et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem Sancti Francisci De Sales, cum officio, et Missa de communi Doctorum Pontificum, retenta oratione propria,

et lectionibus secundi nocturni. » Quod rescriptum Nos, edito generali Decreto Urbis et Orbis die XIX mensis, et anni eiusdem, approbavimus. Item novis porrectis precibus, ut aliqua additio fieret, tum in Martyrologio Romano, tum in sexta lectione in festo S. Francisci Salesii, utque concessiones omnes hac super re factae Nostris Literis Apostolicis in forma brevis confirmarentur; eadem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium Congregatio, in Ordinariis Comitiis die XV Septembris anni eiusdem habitis, rescripsit « Pro gratia, ac supplicandum Sanctissimo pro expeditione Brevis. » Addi vero censuerunt ad elogium Martyrologii Romani post verba « Annesium translatum fuit » haec alia « Quem Pius IX ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto universalis Ecclesiae Doctorem declaravit; » ad lectionem vero sextam post verba « Vigesima nona Januarii » adiungi sequentia « et a Summo Pontifice Pio IX ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctor fuit declaratus. » Et hoc quoque Rescriptum memoratae Congregationis die XX dicti mensis, et anni, ratum habuimus et confirmavimus, atque ut super concessionibus omnibus hac de re factis, Apostolicae Literae expedirentur, mandavimus. Quae cum ita sint, supradictorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium, Antistitum Collegiorum, Academiarum, ac fidelium votis obsecuti, deque consilio memoratae Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium Congregationis sacris Ritibus cognoscendis praepositae, Aucto-

ritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris in honorem Sancti Francisci Salesii Genevensis Episcopi ac Ordinis Sanctimonialium Beatae Mariae V. Visitationis Institutor confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo ei tribuimus, impertimus, ita ut in universali Catholica Ecclesia, semper ipse Doctor habeatur, atque in die festo anniversario, cum a saeculari, tum a regulari Clero celebrando Officium et Missam iuxta memoratum sacrorum Rituum Congregationis Decretum fiat. Praeterea ejusdem Doctoris libros, commentaria, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed et publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus aliisque ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferri, ut prout res postulaverit adhiberi decernimus. Ut vero fidelium pietati in huius Doctoris die festo rite colendo, eiusque ope imploranda, excitamenta adiiciantur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo eiusdem sancti Doctoris, aut uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, uniuscuiusque Christifidelis arbitrio sibi, diligendo, vere poenitentes, et confessi, Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, et quamlibet ex Ecclesiis Ordinis Sanctimonialium Visitationis B. Mariae Virginis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, et Sanctae Matris Eccle-

siae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quapropter universis Venerabilibus Fratribus Patriarchis, primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis, per universum terrarum orbem constitutis per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Dioecesibus sollemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis saecularibus, et quorumvis ordinum regularibus, ubique locorum et gentium, inviolabiliter, et perpetuo observari procurent. Haec praecipimus, et mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in Oecumenicis, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsi spraesentibus, si fuerint exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die XVI Novembris MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri anno Trigesimosecundo.

F. Card. Asqvinivs.

ALLOCVTIO

HABITA DIE XXVIII DECEMBRIS MDCCCLXXVII
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS.

PIVS PP. IX.

VENERABILES FRATRES.

Frequentia et conspectus vester iucundissimam Nobis opportunitatem affert quam vehementer optavimus, nempe ut Vobis singulis universis gratias habere possimus pro iis dilectionis officiis, quibus Nos hoc tempore adversa valetudine affectos perhumaniter prosecuti estis. Hoc grati animi munus libentissime implemus hodie, Venerabiles Fratres, et gratulamur in Domino, quod sicut Vos fidissimos adiutores et Apostolici Ministerii onus ferendum experimur, ita ex vestra virtute et constanti charitatis affectu dulcem consolationem habemus, qua multiplices acerbitates animi Nostri leniri sentimus. Sed dum de vestra in Nos dilectione ac studio gaudemus probe cognoscimus, Nos vestra ac omnium Venerabilium Fratrum et Fidelium cooperatione in

dies magis indigere, ut praesens Dei auxilium in tantis nostris et Ecclesiae necessitatibus assequamur. Summopere igitur hortamur Vos, Venerabiles Fratres, ac eos praesertim ex vobis, qui episcopale ministerium in Dioecesi sibi credita exercent, itemque singulos Pastores, qui Dominico Gregi in toto catholico orbe praesident, ut assiduas preces pro Nobis et Ecclesia ad Divinam Clementiam effundant, ac offerri curent ut ea Nobis, dum corpus affligitur, vires animi donet ad certamen quod fervet strenue sustinendum, Ecclesiae autem respiciat labores et iniurias, ac dimittens universa delicta nostra, det gloriam nomini suo, det bonae voluntatis munus cum fructu pacis illius, quam angelici chori nascente Domino hominibus annuntiarunt.

La stessa Santità Sua, continuando ad accorrere ai bisogni della Chiesa, si è degnata di provvedere quanto appresso:

Chiesa Arcivescovile di Nazianzo nelle parti degl'infedeli, per Monsignor Angelo di Pietro, traslato da Nizza *in partibus infidelium.*

Chiesa Arcivescovile di Chieti con l'amministrazione della Cattedrale di Vasto, per Monsignor Luigi Ruffo de' Principi di Scilla, di Napoli, nato in Palermo, Prelato Domestico di Sua Santità, Protonotario Apostolico Soprannumerario, Canonico del-

la Patriarcale Arcibasilica Lateranense, Prelato aggiunto alla sagra Congregazione del Concilio per ricevere ed esaminare le relazioni degli Ordinari sullo stato delle loro Chiese, uditore del Camerlengato di Santa Romana Chiesa e Licenziato in filosofia, sagra teologia, non che in ambe le leggi.

Chiesa Cattedrale di Fano, pel R. D. Camillo Santori, Sacerdote Romano, Rettore e Professore di Teologia dommatica nel Pontificio Seminario Romano, Canonico in S. Maria *ad Martyres*, Professore emerito di Diplomazia nell'Accademia Pontificia de' nobili Ecclesiastici, Teologo della Dataria Apostolica, Esaminatore del Clero romano, Sotto-Segretario nel Concilio Vaticano, Qualificatore nella Sagra Romana ed Universale Inquisizione, Consultore della Congregazione degli Affari Ecclesiastici straordinari ed in quella di Propaganda Fide per gli affari del rito Orientale e Dottore in Sagra Teologia.

Chiesa Cattedrale di Tricarico, pel R. D. Camillo Siciliano de' Marchesi di Rende, Sacerdote di Napoli, fu Parroco nella arcidiocesi di Westminster, addetto in S. Maria della Vittoria in Napoli alla istruzione de' pellegrini ed alla conversione de' protestanti alla fede cattolica.

Chiesa Cattedrale di Nizza, pel R. P. Matteo, Francesco Regis, Vittore Balaïn, Sacerdote diocesano di Viviers, Oblato della Congregazione di Maria Immacolata, Rettore del Seminario diocesano di Frejus, e già Professore di Sagra Teologia nel Seminario di Ajaccio.

Chiesa Vescovile di Pella nelle parti degl' Infedeli, pel R. D. Gustavo Leonardo di Battice, Sacerdote di Gand, Professore di sacra liturgia, Direttore e Presidente del Seminario maggiore di Gand, Canonico Onorario in quel Capitolo, Esaminatore pro-Sinodale e deputato Coadiutore con futura successione di Monsignor Enrico Francesco Bracq, Vescovo di Gand.

In seguito Sua Beatitudine, si è degnata di creare e publicare Cardinali di Santa Romana Chiesa

DELL' ORDINE DE' PRETI

Monsignor Vincenzo Moretti, Arcivescovo di Ravenna, nato in Orvieto 14 Novembre 1815.

DELL' ORDINE DE' DIACONI

Monsignor Antonio Pellegrini, Decano dei Chierici della Reverenda Camera Apostolica, nato in Sonnino.

In fine si è fatta al Santo Padre la postulazione del Sagro Pallio per le Chiese Arcivescovili di Chieti e di Baltimora a favore di Monsignor Giacomo Gibbons, succeduto per coadiutoria a quella Sede.

EPISTOLA

DILECTO FILIO EQVITI TORQVATO IOANNI ACQVADERNI PRAESIDI CONSILII SVPERIORIS SOCIETATIS IVVENTVTIS CATHOLICAE.

PIVS PP. IX.

DILECTE FILI, SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Didicimus, non sine dolore, Dilecte Filii, aliquot ex iis, qui obsequentes hactenus vobiscum tenuerant sententiam huius S. Sedis, deceptos a *Conciliatorum* commentis, praetulisse privatorum opiniones iudicio Nostro, et ad eorum partes transisse. Profecto, si unum essent omnes cum Nobis et omnes idem sentirent ac dicerent cum hac veritatis cathedra; multo minora detrimenta pateretur Ecclesia. Verum in ipsis Ecclesiae exordiis Paulus hortari cogebatur Corinthios, ne essent in eis schismata, et ut omnes perfecti essent in eadem sensu et in eadem sententia, quia contentiones eorum acceperat; permittente id nempe divina providentia, ut clarius pateat, nec externavi, nec interiore dissidio subrui posse positum ab ipsa Ecclesiae aedificium. Et tota sane demonstravit historia, haec mala non alium

habuisse exitum, quam luculentiorem veritatis declarationem, firmiorem et operosiorem eorum fidem qui pro veritate steterant, obsequentiorem et studiosiorem huic veritatis cathedrae adhaesionem. Gratularum itaque, vos contristari quidem a recessione fratrum fallacis doctrinae vento distractorum sed non commoveri id circo, imo ab eorum errore excituri ad excipienda libentius et sequenda accuratius non mandata dumtaxat, sed et monita quaevis Apostolicae huius Sedis, a qua nec falli nec decipi vos posse pro certo habetis. Constantia haec vestra, haec prona in obedientiam et obsequium voluntas multo iucundiores Nobis faciunt dilectionis vestrae devotionisque significationes, pretiosamque plane stipem colletitiam Nobis oblatam. Ac praeterea, dum periculosiora tempora ingruunt, Nos erigunt in spem ut iuncti cum egregio Archiepiscopo vestro causam religionis et Ecclesiae, qua propugnandam suscepistis, alacriter tueri valeatis. Virtutem, vires, auxilia ad hoc necessaria et opportuna vobis a Deo toto corde adprecamur, eorumque auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus, tibi, Dilecte Fili, totique, cui praees Consilio et Societati Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 21 Ianuarii 1878. Pontificatus Nostri Anno Trigesimo secundo.

PIVS PP. IX.

INDEX

MDCCCLXXV.

MDCCCLXXVI.

MDCCCLXXVII.

Addit se post Urbis expugnationem ex infido ab hostibus per legem oblato tutamine quae pertimescenda forent penitus intellexisse, et sacrilegos ausus non tam in civilem Ecclesiae principatum, quam ad ipsam evertendam Ecclesiam ferri iam aperte praenuntiasse. Quin imo impia consilia in opus iam erupisse, ex iniquis legibus latis patratisque sceleribus demonstrat. Quibus summo animi dolore commemoratis, atque aliis pluribus praetermissis, subdit se novissime declarare coactum fuisse tolerari posse ut canonicae Episcoporum institutionis acta laicae potestati exhiberentur, quum ob funestissima rerum adiuncta non de temporalium bonorum possessione tantum, sed de ipsa fidelium conscientia, pace, salute potius ageretur. At iterum se *regii placiti* legem improbare, et per ipsam Ecclesiae auctoritatem ac libertatem violari declarat. Suo muneri exercendo impedimenta undique abstare demonstrat, et adesse miratur, qui Pontificem sub alterius potestatis dominatione plena libertate frui ac tranquille posse supremo Primatu fungi populis persuadere student, quum quae quotidie in Urbe accidunt contrarium evincant, et si quae arctata libertas sibi relicta videatur, haec a dominatorum arbitrio pendeat. Hinc irrisionem et ludibrium existimandum esse ait, quod saepe obiicitur, debere Pontificem conciliationem cum dominatoribus inire; hoc enim non aliud esset quam S. Sedis iura prodere, divinumque ministerium auctoritati tradere, quae ipsum catholicae religionis nomen delere conatur. Quare rursum declarat Pontificem Romae nonnisi aut supremum principem aut captivum esse posse; nec Ecclesiae pacem et tranquillitatem constare, donec apostolici ministerii exercitium studiis partium, politicarum electionum vicibus, dominantium arbitrio, improberum consiliis et operibus obnoxium fuerit. Subdid vero tot inter mala animo se non excidisse, insuper potius Romae manendi, quam alibi tranquillum hospitium quaerendi con-

silium iniisse ut penes B. Petri sepulcrum vigiles pro re catholica excubias ageret, quod omni studio semper egisse testatur. Laetatur vocem suam a catholico populo libentissime magnoque cum fructu excipi, idque assiduis et iteratis dilectionis testimoniis probari, quorum praecipua enumerat. Optat ut fidelibus universis gratissimi animi sui sensus pateant, quibus gratias agit pro pia liberalitate et dilectionis significationibus exhibitis ad celebrandum quinquagesimum suae episcopali consecrationis anniversarium diem. Hortatur Episcopus ut, novo accepto stimulo, fidelibus pericula et incommoda quatidie ingruentia significent; eos certiores reddant se nunquam ab impietate improbanda destiturum; praemoneant insuper, quum sua vox, ingravescentibus circumstantiis, nonnisi rarius et aegre ad eos forsan perventura sit, ne fallacibus capiantur artibus, quibus veram Pontificis conditionem occultare fraudolenti student; ipsos demum excitent ut, qua ratione cuiusque regionis iura sinunt, apud summos reipublicae rectores conatus adhibeant ad obstacula removenda, quae Pontificis libertatem impediunt. Qua de re monet in primis ut Deo fervidae preces fundantur. Postremo ut sibi et Ecclesiae valida praesidia adiungat, debitum praestantium virorum meritis honorem, et universo Episcopali ordini existimationis et benevolentiae testimonium exhibeat undecim eximios viros in sacrum senatum cooptat, nempe in ordinem presbyteralem Franciscum Di Paola Benavides et Navarrete, Franciscum Xaverium D'Apuzzo, Emmanuelem Gargia Gil, Edoardum Howard, Michaelem Payà et Rico, Ludovicum Caverot, Aloisium Di Canossa, Aloisium Serafini; in ordinem diaconorum Laurentium Nina, Aeneam Sbarretti, Federicum De Falloux. » 289

Epistola - *Sicut aere pestilentia corrupto* - die 5 Februarii ad Felicem Episcopum Aurelianensem. - Quaeritur de iniquis legibus, quae non raro in pu-

MDCCCLXXVIII